



Re. 152.

HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM
AD
SEPVLTVRAS PERTINENTIVM
ADIVNCTA EARVM COMPARATIONE CVM PATRIIS
INSTITVTIS
SPECIMEN SECUNDVM
VBI DISPUTATVR
DE MINVENDIS FVNERVM SVMTIBVS

ILLVSTRIS IVRIS CONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO
DIGNITATE DOCTORIS OBTINENDA

D. XXIV SEPTEMBRIS A. C. MDCCXCV

H. L. Q. C.

D E F E N D E T


CHRISTIANVS GOTTHELF HÜBNER

PHILOSOPHIAE DOCTOR ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS
VTRIVSQUE BACCALAUREVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.





ADVMBRATIO VNIVERSI LIBELLI.

Praefatione praemissa, in CAP. I. aditus fit ad ipsam rem, dum vniuerse
disserritur de causis sepulturae funerumque magnificentiae. Deinde
de NVMA, eiusque lege Posthumia, atque speciatim, de eius nomi-
ne, origine, causis et effectibus exponitur.

In CAP. II. exhibentur fragmenta ex legibus Decemuirorum ad funeris
sumtus coercendos pertinentia, adjuncta breuiori eorum illustratione.
Adspersa sunt simul quaedam de Romanorum in educandis liberis
cura, eiusque causis, nec non de dentibus vincitis, quorum fit mentio
in XII.

CAPV T III. complectitur locum de XII. tabularum auctoritate, de
Aedilibus legis decemuiralis sumtuariae defensoribus secundum
HEINECCIVM contra RITTERI opinionem et qui huic assen-
tiuntur: de lege Cornelia sumtuaria, quae luxum in funerando
prohibuit, de lege Iulia luxuriae opposita atque de quibusdam ex
Cicerone locis, quae ad legem Iuliam referenda videntur. Deinde
ostenduntur causae, tanti legum sumtuariarum prouentus et cur
earum numerus sub Imperatoribus imminutus fuerit. Iam comme-
moratur lex Fusia Caninia, vbi strictim attinguntur dies denicales et
testamentorum apertura.

A

In CAP. IV. itur ad Imperatorum constitutiones. Veterum ICtorum sententiae de sepultura eiusque finibus regundis nec non de sumtu eam in rem faciendo significantur. *Vlpiane* l. 14. §. 7. D. de relig. et funer. sumpt. reiecta Bynkershoekii conjectura emendatur. *Capitolini* locus corruptus ad SCHILTERI rationem restituitur. Hinc de modestia Christianorum ex III. prioribus seculis in sepulturis faciendis agitur. Patres ecclesiae luxum in sepeliendo et splendorum ferre non potuisse ostenditur: CONSTANTINI institutum, rei funerariae constituendae causa, commemoratur, addita eius historia ad *Leonis* usque aetatem.

CAP V T. v. indolem et rationem prisacarum Germanicarum sepulturarum enarrat. Indicantur quidam canones, gratuitam sepulturam *frustra* praecipientes. Quaedam adduntur de Clericis mercenariam in officiis humanitatis exhibendis operam ad nostra usque tempora praestantibus.

CAP V T. vi. sententiam legum Saxoniarum, funeris magnificentiae coercendae causa scriptarum exponit. Monitis paucis ad patrias leges pertinentibus, adiiciuntur in fine desideria quaedam pia et vota de emendanda vniuersa re funeraria.

sententiam legum Saxoniarum, funeris magnificentiae coercendae causa scriptarum exponit. Monitis paucis ad patrias leges pertinentibus, adiiciuntur in fine desideria quaedam pia et vota de emendanda vniuersa re funeraria.

PROOEMIVM.

Redditur consilii ratio.

Quanquam omnes, qui sibi paullum in Iuris arte profecisse videntur, maxime eos, qui se legum studiosos profitentur, abundare oportet quaestionibus et argumentis singularibus, quibus breuiter et terse elaboratis vel legum obscuritati lux accendatur, vel earum salubritas et utilitas demonstretur, atque, ut uno verbo dicam, quae gravia sunt et utilia in legum disciplina et ad rem communem faciunt, accurate et copiose disputentur: ego tamen in optanda aliqua, quam pertractarem, materia, multum diuque anxius haerebam. Etsi enim thematum copia haud sane exigua in promtu esset, tamen, ex illis aliquod persequerer, an, quod suscepseram munus disserendi de ratione atque indole legum, non prisca rei Romanae solum aetate, sed etiam hac nostra memoria, de sepulturis latarum, ad illud me meaque studia reuocarem, animus in diuersas sententias distrahebatur. Nam, cum me non primum in hunc descendisse campum, probe nossem, sed hanc, quam tracto, materiam communem fuisse summorum Virorum, quos sequi difficile et periculi plenum est, an coepta essent peragenda, profecto habui, quod dubitarem. Sed, indignum reputans viro constante, datum fidem fallere, et ingenio meo, reliquarum materiarum gravitati profecto impari diffidens, filum semel coeptum pertexere apud animum constitui. Quod vero argumentum iam uberioris

exponendum suscepi, in eo pertractando hanc mihi legem scripsi, vt, investigata legum huc pertinentium vera mente, qui viri docti in hac iuris nostri parte illustranda me praecessere, eorum lectione ita vterer, vt simul, quae ipse meditando essem adsecutus, ea adderem. Illud certe sum secutus, vt libellus meus, non apud Iuris solum studiosos et Prudentes, sed adeo, apud eos, qui nostram artem non callent, haberet aliquid et ab utilitate et a suauitate commendationis. Quod vt ita fore mihi persuaderem, illa maxime adductus sum re, quod, quam proposui materiam, ea ex illis est, quae tantum abest, vt in sola legum priscarum obscuritate illustranda, vel in examinandis aliorum conjecturis, vel in reliquis versentur, quae in solis Criticorum scholis tractantur et quae tenere, ex ceteris, nemini interest, vt iis rebus charrandis continantur, quae, quoniam ex interiori Iuris atque humanitatis disciplina sunt de promtae, lectoribus non possint non aliquam parere voluptatem. Quid enim est, quod sit ad fructum vberius, ad voluptatem suauius, quam, cognitis legum utilissimarum et maxime necessiarum initis, progressibus variisque mutationibus et vicissitudinibus et perspectis earum indole et causis, sapientiae simul et stultitiae humanae quandam veluti historiam contextam adspicere, et, a quanta tenuitate profecta sit sapientia lento pede progressa, nunc aucta, nunc iterum nube veluti pressa, quibusque de causis hoc acciderit, vno veluti obtutu cognoscere? Quae iuris antiqui tractandi ratio haud scio, an utilissima sit, atque nobilissima. Qui libelli enim multi et pliores patrum nostrorum memoria, ab iis, qui se legum doctores et esse et haberi volebant, edebantur, eorum plurimi in rerum summa tenuitate occupati, non raro ad

minima delapsi; ingenii quidem specie blandiuntur et acuminis laudem merentur, sed, quod ad rectum vsum transferas et vel illis, qui nostris sacris non sunt iniciati, rectius de multis rebus iudicandi cogitandique materiam praebeat, nihil fere intus habent. Mihi quidem, etsi nullum legitimae scientiae studium ingenuo et liberali homine dignum videatur, nisi, quod ducem sequitur grammaticam, atque antiquitatis rerumque gestarum notitiam et omnes, quae ab humanitate nomen ferunt, disciplinas comites habet: non tamen is sum, qui in sola antiquarum rerum notitia adquiescat, et cui, qui Ictorum cruces unus et primus intellexerit, vel qui diem et consulem veteris populisci, prior docuerit, vel qui legis antiquissimae fragmenta non ordini solum et integratati sed sermonis adeo vetustati restituerit, iste demum sapere videatur. Me certo nunquam

Corrumptant horum exempla domestica, magnis

Cum subeunt animum auctoribus — —

Si qui tamen sint, qui meum indicium reprehendant, non
nimium curo. Illa enim mihi stat sententia, si quae sunt praesidia et adiumenta Iurisprudentiae, quibus qui sunt imbuti, hanc scientiam praeclaris accessionibus locupletare valent, iis, ni ita vtare, vt exinde bonae frugis plenum quid, et quod transferri possit ad communis vitae fructum et ad vsum doctrinae liberalis et prudentiae ciuilis, enascatur, vanam esse gloriam et contemnedam. Verum, qui aliquam rem suscepere explicandam, illi cum hoc imprimis sit agendum, vt cognoscatur satis, quid sit illud, in quo ipsius studium occupetur, quaque via sit progressurus: constitutum mihi est, ostendere, quibusnam libibus errori omnium fere

gentium communi, luxuriae puta, in iustis faciendis apud Romanos et Saxones obuiam sit itum. Primum igitur exponam, quid et quantum effecerint Romanorum sapientes legum conditores in populi Romani moribus, seuerissimis olim et ad parsimoniam in omnis vitae cultu seruandam compositis, ab omni inutilis prodigalitatis labe, salutis publicae priuataeque causa, incorruptis conservandis. Quarum sanctionum primordiis et progressibus, quantum pro ingenii mei tenuitate, temporisque, qua inclusus fui, angustia, eius rei fieri poterit, enarratis, deinceps, quid hac in re iuris canonici et pontificalis auctoribus placuerit, narrabo, illud imprimis acturus, ut de vtriusque iuris indeole certe constet. Denique ad patriam dulcissimam delatus, paucis quidem verbis sed laetitiae meae indicibus, populares meos aequales meque ipsum felices praedicabo, in ea patria natos atque educatos, cuius Sapientissimi Principes in hoc etiam legum latarum genere illud maxime spectaverunt, ut homines, opinionum peruerse susceptarum erroribus depositis, in postremis persoluendis honoribus ab omni sumtu et magnificentia extra modum procedente cauerent, atque modum, quem naturalis et civilis ratio exposcit et mediocritatem quandam tenerent. Quo loco non alienum arbitror, monere, fuisse, qui mercedem funeris ac sepulturae constitui, nefas haberent, cuiusmodi quid in mentem venisse memini *Guil. Henr. BRVIKNERO*, qui dissertatione quadam¹⁾ argumentis vndique corrasis, probare

¹⁾ Diss. de sepulitura gratis concedenda, dass die Begräbnisse den Rechten und der Billigkeit nach un-

studuit, nihil esse legibus cum naturalibus tum ciuilibus tamacecommodatum, quam homines gratis sepeliri. Cuius quidem sententiae, propter quam ille multam multorum inuidiam est expertus, ratio atque exploratio, ad hunc, in quo iam versor, locum non pertinet. Disputaturo autem mihi de legibus funerum luxuriam coercentibus, non est animus, repetere ea, quae iam ab aliis occupata et pertractata scio, de priscarum gentium in mortuis sepieliendis cura atque religione, de rituum a Graecis Romanisque exhibitorum varietate, sepieliendi generibus, honoribus Manibus haberi solitis, aris et monumentis. Quae, quamquam ita sunt in promtu, ut, qui vel leuiter Graecas Latinasque litteras attigerit et, quos Latium Graeciaue habet scriptores eos cognoverit, illi obscura esse nequeant: tamen etiam, ab iis, quos omne vitae tempus vetustatis moribus et institutis inuestigandis tribuisse constat, iamdudum docte et copiose sunt exposita. Rem enim veterum funerarium qui exponefent, multi extiterunt. Ut iam omittam, a quibus vniuersam antiquitatem iustis voluminibus summa sollertia ad antiquorum auctorum, marmorum, nummorum fidem atque auctoritatem illustratam habemus, et quorum numerus ita creuit, ut Ioh. Alb. FABRICIUS in bibliogr. antiqui. Ioh. Christ. FRANK in praef. ad Sigonii lib. de iudiciis, Ioh. Gottl. HEINECCIVS, in praef. praem. Iac. Perizonii diss. Lugd. Batav. 1740. Mart. LIPPENIUS in bibl. jurid, real, atque A. F. SCHOTT, qui supplementa ad eum congesit et emendationes, nec non Ren. C. SENKENBERG, qui supplementorum et emendationum Volumen alterum edidit, iustos illorum catalogos texere, et Ioh. Georg GRAEVIVS et qui eum supplevit Alb. Henr. de SALLENGRE lectissima

quaeque coniunctim exhibere possent: plurimi, alibi iam laudati
peculiaribus libris funerum originem, pompam aliaque iusta fu-
nebria et, quae legibus hisce de rebus sancita inveniuntur, magna
cum laude sunt persecuti. Rem sepulcrariam, exposuerunt etiam,
qui non in omnium manibus sunt *Alexander AB ALEXANDRO* in
diebus genialibus, *Ioh. Bapt. ASINIVS*, *ICtus Florentinus* in com.
ad D. de religiosis, *QVENSTADIVS* deinde, qui plurima ex
KIRCHMANNO, quem facile principem et praestantissimum huius
rei scriptorem dixeris, in librum suum transtulit et denique *IVLIVS*
MINVTOLVIS, quem habet *SALLENGRE* in thes. T. I. p. 126.
Quos auctores, si neges, infinitae lectionis libertate atque erudi-
tionis varietate sua commentaria repleuisse, rectum de iis iudicium
et aequum non tuleris. Sed, quod hanc materiam, dignitate et
utilitate maxime conspicuam ita discusserint atque tractauerint, ut
temporum, et aetatum, gentiumque successiones et varietatem
simil notarent, et, in quo rei cardo vertitur, illam non ad legum
solum ciuilium et scriptorum priscae aetatis reliquias intelligendas
et perspicendas adhibuerint, sed etiam ad communem usum et fruc-
tum transtulerint, illud sane eos fecisse non dixeris. Illi enim
ex hac scientia non eum mihi fructum percepisse videntur, quem
nos percipere oportet, ut antiquitatis notitiam existimemus perti-
nere ad eam historiae partem, qua; cognitis hominum diuersarum
aetatum et gentium moribus, ingenii, rebusque gestis, in
humanae naturae indolem inquirit, ut intelligatur, quanta fuerit
humanae sapientiae prima aetate tenuitas, quam latus progressus
ad rectum rationis diuinae usum, in quos errores fuerint prolap-
si homines cognitionis et scientiae cupidi, quibusque praesidiis et ad-

miniculis humana sapientia verique scientia elata atque in altiore
locum euecta fuerit et quae sint reliqua, quae, quoniam ad erro-
rum origines, causas et mutationes cognoscendas faciunt, ad fru-
ctum verum vberrima sunt et scitu dignissima.

~~SCIENTIA HUMANA IN VARIO MODO~~

~~IN VARIO MODO~~

~~SCIENTIA HUMANA IN VARIO MODO~~

HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM AD SEPVLTVRAS
PERTINENTIVM
ADVNCTA EARVM COMPARATIONE CVM PATRIIS
INSTITVTIS
SPECIMEN SECUNDVM
VBI DISPVATATVR
DE FVNERVM SVMTIBVS MINVENDIS.

CAPV T I.

Postquam vniuerse de sepulcralibus causis actum est, e legibus regis quasdam funerum luxuriam colibuisse ostendit.

Est sane, vt disputationis nostrae exordium faciamus ab ipsis statim causis, quae ad curam cadauerum, funerum ceremonias, sepulcrorum monimenta, tumulorum ornamenta, luctus et lamentationes lugubres, violationem sepulcri prohibendam et grauissimis poenis vindicandam et ad alios eiusmodi honores, profanas gentes non prorsus immanes atque incultas fere omnes permouerunt, est igitur non vna tantum gloriae laudisque cupiditas, quae vitae finibus non terminatur sed futurorum temporum cogitatione mirifice alitur atque retinetur, cuius dulcissima spe adducti homines ipsorum memoriam pie conseruandam et sepulturae honores expe-

tendos existimauerunt. Cui nominis post fata conseruandi studio,
quamquam negari nequeat nihil esse commune cum reliquis, quae
angustis vitae terminis circumscribuntur, cupiditatibus, quas nisi
praesentibus atque momentaneis, nullis aliis alimentis pasci sen-
timus atque delectari, idemque in multis adeo foecundissimam
extitisse matrem rerum optime et cum summo labore susceptarum:
idem tamen non tantum valuisse videtur vi atque potestate in
animis hominum omni feri cultu destitutorum, ut propterea, quod
postera secula ad se pertinere arbitrarentur, sepulturae honoribus
in alios conferendis vicissimque accipiendis multum tribuerint.
Quemadmodum enim omnium rerum initia tenuia animaduertun-
tur, ita nescio an idem de sepulturae originibus sit dicendum.
Illum enim, qui, conspecto aliquo cadauere, primus ad humandum
i. e. humo tegendum, (quam sepeliendi rationem et antiquissimam
et naturae maxime accommodatam duco) accessit, satis adparet,
hocce humanitatis negotium hautquaquam ea opinione curasse,
quoniam sepulturam ad mortuum eiusque nomen conseruandum
pertinere existimaret, sed, quia cadauer adspectu triste, odore
foedum ex viuorum conspectu amouendum duceret. Qui vero
defunctorum memoriae honores sunt habiti, serius et post accessisse,
vel eo intelligitur, quod antiquissimas gentes, quo propius abessent
a morum feritate, eo maiori in funeribus faciendis simplicitate
tuisse vsas, relatum legamus. Magis igitur est, ut credamus,
nominis post mortem adipiscendi cupiditatem, recepto semel
sepeliendi more, supremis honoribus augendis et religiose seruan-
dis opportunitatem praebuisse. Mox enim optimi quique et de
ciuibus suis bene meriti, cum excesserant, fletu suorum moerente

et luctu excipi, collocutione hominum et frequentia celebrari, quid? quod coelestium, quorum naturam diuinam esse opinabantur, numero haberi deorumque cultu ornari cooperunt. Qua virorum fortium veneratione et honore, plurimos fuisse incensos paris honoris obtainendi cupiditate, sponte intelligitur. Ceterum de sepulturae originibus definiendis multum olim varieque est disputatum. Aliis illas a brutis animantibus repetentibus cum PLINIO ¹⁾ alii earum prima vestigia in libris diuinis deprehendi existimantibus, aliis aliud quid coniicientibus. ²⁾ Sed ad sepeliendi morem cum constantia quadam atque religione seruandum, plurimum, opinor, valuit, immortalitatis quidam sensus, omnibus hominibus insitus et seculorum quoddam futurorum angarium, cum fore aliquem post hos vitae terminos sperabant sensum. Quam sententiam, CICERONI, de animorum aeternitate non male disserenti, iam probatam, GROTIUS, quique eum sequuntur et SCALIGER defendunt: ³⁾ hic enim, sunt, inquit, cognata nobis semina immortalitatis, cuius adeo adpetentes sumus, ut et sepulturae prospiciamus et nolimus cadauer nostrum male haberi. Quae opinio, nobiscum nata, mirifice adiuta et confirmata est ab antiquarum gentium poetis et sacrorum antistitibus. Ciuius enim, quod persuadere omnem operam dederint, post vitae excessum, hominum animos permanere, esse aliquam, vbi reliqua vita agatur, sedem, ad quam, nemini, nisi sepulturae beneficio affecto, aditus

¹⁾ PLIN. H. N. lib. 2. c. 18. et ³⁾ GROTIUS, de iure B. et P. 30. lib. 9. c. 8. lib. 2. c. 19. SCALIGER Poet. lib.

²⁾ SAHME diss. prior, de sepul- 3. c. 19. turae denegatione §. 5.

pateat, atque adeo nefandum facinus et vix expiadum eius esse, qui
vagae malignus arenae
ossibus et capiti inhumato
particulam dare
recusarit, quis est eorum qui *Homeri* vel *Hesiodi* lectione retin-
nentur, quem praetereat? Ast, quod humanitatis officium, defun-
ctis necessarium, viuentibus salutare, in primordiis, angustis
pristicae simplicitatis se continebat finibus, omnisque vitii expers
ad ciuium reique publicae felicitatem et salutem tantum pertinebat;
mox, vt fit in rebus humanis, hominum cupiditate pietatis officio
functum esse haud contenta, in vitium reique non priuatae tantum
sed etiam publicae detrimentum abiit. Iniecti enim pulueris
parua manus, lamentatio lugubris fletusque propinquorum moerens,
tantum abest, vt sufficere viderentur, vt adderet hominum super-
bia nominis ad alios transferendi ergo, largam luxuriae materiem,
monumentorum videlicet splendorem, sumtuum in funus curandum
magnificentiam, luctus et moeroris simulationem, exequiarum
pompam, tubarum et candelarum usum, vnturam, genarum
lacerationes, cremationem non cadaueris solum sed aliarum etiam
pretiosarum rerum, ossium collectionem et in vrnis asseruationem,
inferias Manibus datas, florum sparsionem, epitaphiorum titulo-
rumque ludicra, πολυηδεα δαιρα, laudationum mendacia et quae
sunt reliqua, quae *Lvcianvs* in dialogo, qui *Nigrinus* inscribitur,
aliisque locis non sine sale risit. Homines igitur, ne, dum munus
ab ipsa natura profectum implerent, ad imbecillitatem erroresque
delapsi, luxuriae, superbiae et fastui nimium darent, legum san-
ctionibus erat cauendum. Atque quidem, vt tandem oratio ad illud,

de quo agitur, et cuius causa omnis haec disputatio est instituta, per-
veniat, Romanam ciuitatem, Graecis sacris vtentem, hoc luxuriae
funebris malo multum laborasse, vt legum fraenis opus fuerit ad
cohibendam exequiarum magnificentiorum licentiam, illud iam
ordine persequamur. Iam primum omnium satis constat, Romulo
conditore vel instauratore imperii Romani, in ciuitate, continuis
bellis defatigata, summisque periculis opposita, cum regis animum
salutis publicae reique nouae conseruandae et stabiendi cura
occuparet, non potuisse cogitari de religione diuinaque re peragen-
da et legum huiuscemodi latione. Res enim publica, vi et armis
condita et contra vim externam propugnanda, in ciuium patriis
moribus assuetorum feritate, paucis indiguit legibus, iisque eius-
modi, quae vniuersos ciues arctioribus obstringerent vinculis,
eorumque animos ad suae ciuitatis tutandae et defendendae amo-
rem magis allicerent. Latae igitur sunt leges, quibus patrocinii
iura, connubiorum fides atque sanctitas patriique iuris maiestas
constituerentur. Sed, ciuitate ab hostium aggressibus tuta reddita
et positis externorum periculorum curis, Numa, diuini et humani
iuris peritissimus, legibus atque praecclare institutis, maxime reli-
gionibus, Deorumque metu iniiciendo populum ferocem deuinxit 4) et
sacerdotibus creatis iureque sacro constituto et in Pontificum manus
tradito, pietate in Deum, fidei et iustitiae praceptis animis paullatim
instillandis, Romanos ad pacem colendam proniores reddidit. Quo-
rum animi in religionem conuersi ne quid superstitionis tenerent
et, spreta parsimoniae ratione, partim in sacris faciendis, partim

4) TACITVS Annal. lib. 3. c. 36. LIVIVS lib. r. c. 20

in ultimis humanitatis officiis praestandis, ad luxum prolabentur, certis legibus cauit. Quae, licet illae aetatem non tulere, vere esse dicta, LIVII, PLINII, DIONYSII, VALERII, et PLUTARCHI⁵⁾ auctoritate innixus, credo. De lege vero Numae regis, ad funerum magnificentiam coercendam comparata ita PLINIUS: *Numae regis Posthumia lex est: vino rogum ne aspergito. Quod sanxisse illum propter rei inopiam, nemo dubitet.* Quae lex ad sacra Pompilii instituta est referenda, quae Pontificum potestati ab eo sunt subiecta. Vnde factum, ut Pontificum collegium apud Romanos de ipsis sepulcris iudicaret.⁶⁾ Sed de nomine legis, cur Plinio Posthumia fuerit dicta, varie sentiunt viri docti. Nec mirum, cum Romani in legibus nomine insigniendis eandem regulam et unam non semper sint secuti. Quod in primis de regiis legibus, de quibus antiquarum rerum scriptores pauca tantum memoriae prodiderunt, valere, facile intelligitur. Persuasum sibi habuit I. A. BACH, in hist. iurispr. rom p. m. 9. hanc Pompilii sanctionem a latore Posthumio quodam nomen accepisse, et uniuerso iam sub regibus moris fuisse, ut a latoribus leges nomina acciperent, eamque rem legis Horatiae exemplo, de Caia Tarratia latae, satis confirmari. Quae coniectura mihi non probatur. Plinius enim, quoniam eam legem Numae propriam dixit, nullo alio latore commemorato, haud dubie eundem ipsum latorem

5) LIVIUS lib. I. c. 20. VAL. in Numa c. 12.

M. lib. I. c. I. ex. 12. PLINIUS 6) CICERO de legibus lib. 2. Hist. Nat. lib. 14. c. 14. Lib. 32. c. 19. pro Mar. c. 11. Geo. Chr. c. 10. DIONYSIUS HALICAR- GEBÄVER Numa Pompilius variis NASSEVS, lib. 2. PLUTARCHVS obseruationibus illustratus p. 21.

habuit. Regum vero tempore leges ab aliis rogatas, regibus adscribi consueuisse, demonstrari nequit. Ut vero maxime credam, Numam ita sanciuisse ipsum, illud me mouet, quod eum, diuini et humani iuris consultissimum, non est obscurum, de religione et manium iure saepius edixisse. Sed, in re obscura, si coniecturis quis locus est, liceat vel mihi, quae conieci, afferre. Equidem probabile mihi videtur, in Plinii loco legi deberi pro *Posthumia*, *Posthuma*. Cuius lectionis has habeo rationes. Ipsam legem iuri pontificio iam antea vindicau. Iam, cum **VALERIVS MAX.** et **LIVIVS**,⁷⁾ Numae libros sacros, de fastis, feriis, votis, sacris et vniuerso iure Pontificio agentes, illo iam mortuo, inuentos et magna cum cura fuisse asseruatos, in libris suis narrauerunt, haud ineptum mihi videtur, credere, eosdem libros post auctoris mortem in lucem protractos publiceque seruatos a Plinio *Posthumorum* nomine fuisse affectos. Nostra vero lex cum haud dubie ex illis fuit, quae hoc sacro corpore continebantur, cur iam Plinio Posthuma nominetur, facile intelligitur. At, fabulae sunt de libris Numae sacris et lex de rogo non adspergendo fuit curiata. — Sint fabulae, non repugno, sed, *Liuio* earum auctore, Plinius illis fidem habuit. De lege vero curiata, res non minus est incerta quam de mea coniectura. Aliorum esto iudicium. Reliqua persequamur. Numam quidem, etsi **LIVIVS**,⁸⁾ suopte ingenio magis temperatum, quam instructum peregrinis artibus ad tantam virtutum, doctrinae et morum laudem ascendisse opinetur, tamen

7) *Liv.* lib. 40. c. 29. *VAL.* lib. 1. c. 18.
8) *Liv.* lib. 1. c. 12.

nihil secius eundem recte quis dixerit, aliena institutione et disciplina, licet minime Pythagorica vel Mosaica, qui quorundam olim fuit error, in ingenio illustri multum profecisse. Nostro quidem tempore, quamquam, qui Numae instituta et leges ad Moysis vel Pythagorae exempla expressas putet, non facile inueniatur, quam iam idem LIVIUS et CICERO ⁹⁾ historiam ab hac erroris labo purgauerint: tamen, praeterquam, quod, quae Italiae inferiorem partem tenebant, gentes graecae originis, varia doctrina imprimis rerum sacrarum cognitione erant imbutae, ipsa Numae patria, Cures, Sabinorum, quos Lacedaemone ortos, veteres testantur, vrbs, spartani moris, disciplinae et prudentiae multum retinuerat. Numa igitur apud suos ciues in iustitiae, religionis et omnis sapientiae studio multum proficere potuit, propter naturalem animi bonitatem et animum ad omnem virtutem idoneum. Haud inde est, quod mireris, hanc, quam tractamus legem, Laconicis esse simillimam? Lycurgi, parsimoniae et modestiae studiosissimi lex vetuit omnem funerum luxuriam, inanesque tumuli honores, et sublata sepulcrorum religione, luctum certo modo et tempore circumscriptis. Ita enim PLUTARCHVS: ¹⁰⁾ αὐτέλε δε οὐ τας ἐπιγραφας τας ἐπι των μημεων, πλην των ἐν πολεμῳ πεσοντων, οὐ τα πενθηκαι τες ὁδηγησεις et alibi: χρονον πενθεσ οὐλγον προωρισεν, ημερας ἐνδεκα. Quae cum ita habeant, haud scio, an recte dixerim, iuris Laconici vestigia in Numae lege servari. Neque etiam nouum est, legum Spartae latarum memoriam

9) CIC. Tusc. lib. I. et 4. LIV. lib. 40. c. 29. lib. I. c. 18.

10) Vita Lycurgi cap. 27. et ἐπιτηδευματα λακωνια c. 9.

atque auctoritatem apud Romanos seruatam dici. Iam enim, ut nihil dicam de sumtuariis Lycurgi legibus, Plinio aliisque testibus, Romanum post decemviorum aetatem, translatis, una legitima tutela sufficere potest, ad eorum sententiam demonstrandam, quibus iuris antiquissimi Romani pars non exigua ab institutis Spartanorum profecta videtur.¹¹⁾ Sed ipsam rogi sumtuosam resensionem, mirum est, Numae tempore in Romana ciuitate ita abiisse in vitium, ut legum auxilio res indigeret. Romanos autem eam Graecis acceptam tulisse, id non tam obscurum est, ut non affirmari possit. Apud Graecos enim ab antiquissimis temporibus receptum erat, ut corpora ditiorum, cum iam essent in pyra posita, vino, lacte et melle respergerentur, additis odoribus suffiendi causa et liquoribus pretiosis, thure, vnguentis. Quin pyra, cadascere ignis violentia iam consumto, vino large adfuso extincta legitur.¹²⁾ Romani vero, ista sane aetate pecuniae inopes, paucis agri iugeribus contenti, frugalitatis studiosissimi in nulla certe re luxuriae et immoderationi indulgebant, nisi in suorum memoria virtuteque celebranda, quae res eo minus mira alicui videri debet, quo certius est, eam esse rerum humanarum indolem et rationem, ut prauirectique fines saepe sint confusi et in omnibus speciebus, quid sit rectum, statuere, iudicii esse subacti et valde exercitati. Numa igitur prudenter, ne leges recens latae ad Deorum metum iniiciendum compositae ceteraque instituta ad coelestes ceremonias perti-

11) V. Ev. ORTO diss. de XII. proposuit, sententiam, disputauit tabb. c. 3. vbi contra Ge. SCHUBARTH, qui in fatis iurispr. Rom. exerc. I. eam, quam ego sequor,

12) HOMERVS L. o. v. 796.

nentia, ciuib[us] reique publicae damnosa fierent, hac et aliis legibus ad eandem rationem comparatis efficere studuit. Qua lege etsi sumtuum immoderatorum licentia in vna re esset restricta, eam tamen posterioris aetatis luxu elusam esse et euersam, historia docet. Re enim Romanā ad altum potentiae et diuitiarum fastigium euecta, cum diuitiae honori, paupertas probro haberi coepissent, et qui decederent, amplissimi viri, quorum patrimonium ne ad exequiarum quidem expensam sufficeret,¹³⁾ non iam conspicerentur, ad id luxuria et superbiae est peruentum, ut maxime in funeribus nec finis esset nec modus. Numa vero Pompilius, quas leges rogavit de luctus tempore a vidua obseruando, de modo lugendi maiori pro aetatibus et fletu ultra annum non prorogando, quarum memoriam seruauit PLUTARCHVS,¹⁴⁾ earum vberior expositio, cum non accommodata sit, quam disputamus, thesi, atque aliis,¹⁵⁾ qui de viduarum luctu plenius egerunt, iam occupata, a me suscipi nequit.

13) VALER. MAX. lib. 4. c. 4. Obss. VI. obs. 32. BYNKERSH.

14) in Numae vita. Obss. V. 4. PVITTMANN Pro-

15) MATIANS disp. 47. CVIAC. babil. I. 17.

CAPVT II.

Leges decemuirales funerum magnificentiae oppositae.

Exactis regibus, cum ipsae etiam leges regiae propter iniudicium maximam partem exoleuissent, quid mirum, institutorum ad politiae rationem pertinentium auctoritatem et vim maxime euauisse? Publico enim statu immutato, atque disciplinae morumque propter crescentem indies Romanorum potentiam opumque accessionem insigni inclinatione facta, legis ad fastum coercendum latae sanctionem displicuisse ciuibus non minus ad superstitionem, quam ad luxuriam procliviibus, manifestum est. Quod cum non ignorarent iuris noui, quod in XII continetur, auctores, non Numae solum regiam legem in corpus romani iuris receptam confirmaverunt sed plures etiam alias, maxime e Graeciae copiis depromptas pertulerunt. Quarum quidem, vix dici potest, quanta sit utilitas ac salubritas. Sed, ne oratio nostra temere erret, ipsa potissimum fragmenta huiusc *νομοθεσίας πολιτηκῆς*, quae quidem hodie supersunt, e GODOFREDO, eorum, qui in hoc studio desudarunt, facile principe, subiiciamus. Nam, etsi non defuerunt, qui verba legum et formulam scribendi veterem restituere conarentur, quod, ut ne alios quidem commemorem, in primis de Nicolao FVNCCIO affirmari potest: eos tamen transscribere eo magis mihi displicuit, quo certius persuasum habeo, priscam scribendi rationem, nec ab illis esse restitutam, nec, si vere foret, luminis multum accensum nobis iri. Adscribo igitur verba e GODOFREDO: ¹⁶⁾

¹⁶⁾ v. OTTO in diss. de XII GONOR. in quatuor fontibus iuris Tabb. cap. 6. ibique laud. auct. Iac. ciuilis.

Sumitus et luctum a Deorum Manium iuREmoeto.

Hoc plus ne facito.

Rogum ascia ne polito.

Tribus riciniis et X tibicinibus foris eFeRe ius esto.

Mulieres genas ne radunto: neue leSum funeris ergo habento.

Homini mortuo oSa ne legito, quo post funus facias, extra quam si beLi endoue hostico mortUs escit.

Seruilis vntura, omnisque circumpotatio auferitor.

Murrata potio mortuo ne inditor.

Ne longae coronae, neue aceRae praeferuntor.

Qui coronam parit ipse pecuniae eius, virtutis ergo, arguitor: et ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus escit, forisuEFertur, se frande imposita sit.

Vni plura funera ne facito: neue plures lectos sternito.

Neue aurum aDito: ast, si cui auro dentes vincti escint, im cum iLo sepelire vREue se fraudEsto.

Sed, in ipsa harum sanctionum interpretatione, si afferre vellem, quae partim ab innumeris XII interpretibus ab Aymaro Riuallio ad recentissimum Francogallum, *Bouchaud*, partim ab antiquitatum sepulcralium scriptoribus, vario Marte sunt adnotata, profecto et lectorum et meo otio abuterer. Liceat mihi potius ex praestantissimis huius loci scriptoribus, illis videlicet, quorum est in hoc genere notio, quaedam delibare iisque de meis pauca adspergere. Quam rationem in hoc argumento versandi et breuitati, cui est opera danda et lectorum, quorum pauci in hac antiquitate lubentes retinentur, voluptati iuuandae accommodatam fore confido. Ac primum quidem, legis illius auctores, cum leges sepe-

liendi acerrimas et vtilissimas tulerint, ea mihi prudentia instructi fuisse videantur, vt intellexerint, nullius rei curam homines minus tangere debere, quam sepulcrorum magnificentiae et vanae gloriae post supremum diem adipiscendae. Graecorum enim religiosa superstitione Romam translata, qua abrepti homines magnam epum vim male profundebant, vt sumtuose efferrentur, non ignorabant Decemviri, quantum detrimenti cum rei publicae tum priuatae inferret. Solonis igitur, clarissimi quondam Atheniensium legislatoris ad exemplum normamque hanc pecuniae profusionem, licet religionis calumnia pietatisque specie munitam, certo sumtuum in defunctorum funera faciendorum modo constituto, quo maiorem facere nemini deinde potestas esset, legibus compri-
mere, e re putauerunt. Sic primum non passi sunt aequo plus in rogi extractionem artificii nomine erogari, iubentes, vt e rudi-
bus et impolis lignis, remoto vsu *asciae* i. e. instrumenti, quo fabri lignarii ad levigandam lignorum asperitatem vtuntur, pyrae componerentur. Atque recte. Inutilis enim fuisset lignorum elegantia in paucarum horarum opere, nec erat consentaneum, sumptuum plus fieri in rem priuatam, quam publicam. Deinde, Romani, quamquam in vita domestica eo quidem tempore, pau-
pertati et parsimoniae adsueti, vitam duram et incultam ege-
rint, eo tamen, id, quod mireris, non dicam superbiae et vani-
tatis, sed superstitionis erant progressi, vt suorum corpora com-
burerent ornata vestium pretiosissimarum et purpurae vinculis col-
ligatarum splendore et vt funeribus tibicinum et mulierum luctum
simulantium magnam adhiberent frequentiam. Quem fastum
aegre ferentes legum latores modestiae studiosi, hunc sumtum

tribus riciniis (i. e. si **VARRONI** et **FESTO** fides habenda, tribus vestimentis, clavo purpureo praetextis, quibus inducebantur mulieres, dum mortuus domi esset et quae mortuo post iniiciebantur, vt vna concremarentur) et decem tibicinibus extenuauerunt. Illam vero legem de ascia poliendis lignis non adhibenda, sicut seculorum subsequentium opulentia euertit, ita nec alteram corrupti Romanorum mores diu seruauere. Vestium enim in rogum injectio credita est, funera cohonestare. **VIRGILIUS** enim Miseni funus canens

*— tum, inquit, membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super uestes, velamina nota
Coniicunt.*

Quod vero prisca aetate erat factitatum, eo Romae post legem XII nihil frequentius fuit. Valerius apud **LIVIVM**¹⁷⁾ abrogandam suadens legem Oppiam, ad coercendam muliebrem luxuriam comparatam, purpurae et praetextae vsum tam frequentem Romae est publice professus „non vt viui solum haberent sed etiam vt cum ea mortui cremarentur. Iulii Caesaris funus non commemorabo,¹⁸⁾ cuius magnificentiam auxerunt partium studia, inuidia et miseratio istius caedis, atque publicus luctus a plebe susceptus, vbi plus valuit cupiditas, quam iustus moeror, quem fas est in rebus aduersis et luctu suscipere. Intuenti vero mores Romanorum in deterius ruentes labentemque disciplinam cum publicam tum priuatam, non mirum videbitur, rem ibi eo esse adduc tam, vt vitia, ante clam in legis fraudem patrata, nunc palam in

¹⁷⁾ LIV. lib. 34. c. 5.

¹⁸⁾ **SVENTONIVS** vit. Caesarisc. 84.

morem abirent et consuetudinem. Nam, M. Aemilius Lepidus, quid opus habuisse, ante quam exspiraret, filiis praecipere, lecto se strato, sine linteis, sine purpura efferent? ¹⁹⁾ Certo sepulturam luxuria si vitio dari consuisset, nemo admirabundus adspexisset, Catonis, viri praetorii, tenuissimo sumtu elati, funus, a M. Porcio Catone, ad leges dictis factisque tuendas nato, factum? Ceterum PAULVM ²⁰⁾ de togae dedicatione in filii funus facta loquentem ad hunc antiquissimum morem respexisse, vero consenteum videtur.

Sed neutiquam ab hoc loco aliena est legis de genis non raden-dis mentio, quippe quae tertium in his legibus locum occupat. Solebant enim Graeci aliquique populi, id, quod in vulgus est notum, ad indicium maximi luctus, non comam sibi solum praecidere, verum etiam lacerare pectus et genas, atque edere lugubrem eiulationem. ²¹⁾ Quas res luctui augendo inseruientes, cum Solon iam retuisset, duodecim similiter sustulerunt. Atque cum aduertissent decemuiri, hominum superstitionem uno luctuoso funere non contentam, nulla parsimoniae ratione habita, nimis vel dolori vel superbiae indulgere et ob iteratum sepulturae honorem ad immensos progrederi sumptus, tulerunt leges ad eum morem reprimendum et tollendum directas. Cautum enim est, ne praeter justa persoluta,

¹⁹⁾ FLORVS epit. lib. 48.

²⁰⁾ PAVLLVS Quaestio lib. 4. in Fr. 19. pr. D. de in rem vers.

²¹⁾ HOMER. II. ψ v. 135, Patrocli funus describens non modo ipsum Achilleum tonsis capillis sed socios

adeo ipsius Myrmidonas fuisse.

OVID. Metam. III. 506. de soror.

Narcissi: — planxere sorores Naides et sectos fratri imposueru capillos.

SENECA de benef. lib. V. c. 6.

beneuoli et cognati ossa legerent domum referenda, ut super illis iusta repeterentur et lacrymarum luctusque finis non esset. Funus igitur non nisi vnum fieri debebat. Plurium lectorum, quibus quis efferretur, vsus erat prohibitus. Sed haecce placita posterorum luxuria deseruisse videtur. L. enim *Sylla* sex millia lectorum habuisse dicitur. Nec in lectis solum sed in ceteris etiam rebus in *Syllae* funere legum funebrium auctoritas contemta fuisse videatur. In quo, quantum sit expensum, apud Plutarchum legitur. In Augusti funere, quanta fuerit ambitio, *TACITVS* memoriae prodidit.²²⁾

Vnctura tum cadauerum, multis consueta gentibus²³⁾ quamquam Romani vti noh prohibebantur, quo cadauera absque putredinis periculo ad nonum vsque diem adseruari possent: illius tamen honore seruolorum reliquias affici noluerunt XII auctores, partim, ne pari cum heris honore vterentur, partim, vt sumtuum faciendum materies praecideretur.

Sed, quae tantopere frequentatur apud plerasque gentes incultas circumpotatio seu sepulcralis coena, quae *VARRONI* silicernum audit, eam decemuiriri, rei turpitudinem contemplantes, minime ferre poterant. In ciuitate enim, insigni dierum festorum numero vtente, qui amplam profecto epulandi occasionem praeberent, sicut noxiuam fuisse, indulgere ciuium ingenii ad luxuriam et prodigalitatem prolabentibus, ita etiam turpe, rebus aduersis et luctu domestico ad gulæ voluptatem abuti. Reuocandi erant

²²⁾ v. *CvIAC.* obss. lib. 3. c. 24.

²³⁾ v. *HERODOTVS* lib. 2. c. 1.

ciuum animi a sumtuum intemperantia et extirpanda malorum semina. Sed, sicut alias, ita etiam hanc de epulis legem, a naturali honestate ipsa dictatam, contemserunt Romani. Exemplorum magna esset vis in promptu, si de luxuria Romanorum late commentari in animum induxissemus. Nota sunt Ciceronis, Suetonii, Horatii loca.²⁴⁾ Gentium a morum cultura longe remotarum hoc est proprium, vt, quoniam sensuum imperio reguntur, res iniucundas auersentur et a malorum sensu breui animos ad laetitiam reuocent. Decemvirorum prudentia igitur laudanda, quod sumtus non necessarios recidere et eos tantum fieri voluerint, quos necessitas postularet.

Porro in XII. diligentius repetita est Pompilii lex de rogo et cineribus non respurgendis, et *potio murrata* prohibita. Quae, qualis fuerit non adeo est exploratum. **VARRONIS** enim, Plinii et Festi loca rem non satis illustrant.²⁵⁾

Deinde longae coronae, diuersae a rotundis illis, ad caput redimendum contextis et acerrae thuriadolendo aliisque odoribus sunt prohibitae. Sed, quo virtus excitaretur et conseruaretur, coronarum potestas facta iis, qui ludis et certaminibus publicis victores, eas meruissent, vel suamet ipsorum vel *suorum* virtute. Illis enim temporibus, quemadmodum bona et res a filiis quaesitae patrum erant veluti propriae, ita etiam rerum ab iisdem praecclare gestarum gloria et laus cum genitoribus Graeco more communi-

²⁴⁾ **CICERO** in Vatinium, **SVENTONIVS** in Caes. c. 26. **HORATIVS** lib. 2. Serm. satyr. 3. **PLINIVS H. N.** lib. 14. c. 15. **FESTIVS** in voce *murrata*,

²⁵⁾ **VARRO** fragm. ex lib. I. anti-

cabatur. Ex quo euenit, vt parentes, cum laudi summae esset, patriae dedisse, quorum fortis iuuentute imbecilla patrum senectus compensaretur, filiis bene institutis et ob virtutem laudatis viuis aequae ac mortuis persuerentur. Filiorum enim, qui pro patria occubuisserint, cui publice priuatimque prodesse cum suo maximo incommodo valde optabant, horum igitur obitus patribus nihil fere doloris et aegritudinis attulit. In suscipiendis enim pro patria laboribus, solum laudis et gloriae fructum spectabant. Atque profecto, insigne hoc et praeclarum romanae reipublicae institutum fuit, vt filiorum gloria, licet fato functorum, ad patres eorum pertinere putaretur. Quam praeclaram opinionem, in urbis recens natae incunabulis conceptam tenuisse ad extremam usque labentis imperii aetatem, cum nemo sit rerum romanarum peritia vel mediocriter imbutus, qui ignoret, non est, quod exemplis vnde conquisitis illustrem. Etenim qui in bello cecidissent, in perpetuum per gloriam vivere intelligebantur.²⁶⁾ Atque, qui a primis rei romanae initii senectuti honos haberi consuevit, quippe quam ad Deorum fere modum colebant, is, non dici potest, quantum in modum sit auctus hoc filiorum honore ad patres transeunte, quo horum senectus gloriosa et splendida redderetur. Sed, ea res, quaeri potest, quantum rei cum publicae tum priuatae profuerit: idque eo magis, quo certius est, nostras ciuitatis, in bonarum legum insigni multitudine, si a praeceptis diuinis discesseris, non hoc solum excellenti instituto carere sed aliis etiam, quibus maior

²⁶⁾ PLINIVS lib. 2. epist 15. Inst. de excus- 1. vit. D. de vacat.
GELLIVS N. Att. lib. 2. c. 16. pr. et excus.

est vis in publicam priuatamque felicitatem tuendam et confirmandam, quam omnibus legibus. Illud profecto institutum plus valebat ad rempublicun bonis ciuibus ditandam et *ingenuorum* multitudine replendam, quam Augustae illae leges, Pappia Poppaea, Mensia ²⁷⁾ et aliae, quae haud sufficere ad ciues perditissimos a vagis libidinibus reuocando. Antiquis enim reipublicae temporibus i. e. vt CICERO vocat, bonis, notum est, quanta cura patres romani id egerint, vt, familia conseruata, paterna virtus, hereditario veluti iure ad posteros transferretur. Tum sane, cum virtuti omnia darentur, pecuniae vel gratiae nihil, vix vllis opus fuit praemiiis ad ciues ad iusti connubii amorem alliciendos, et poenis, ad eosdem a vagae veneris vsu retinendos. Filii summae habebantur diuitiae. Eadem res illam etiam utilitatem habuit, vt educationis vniuersae tanta haberetur cura, vt ea non priuatis sed publicis adeo praeceptis legibusque regi videretur. Nihil enim magis, quam morum recta institutio, eo tempore curabatur. Nec educatoris persona abhorrere existimabatur a summo, quem quisque in sua familia tenebat, principatu. Romani enim nec in ceteris publicis priuatisque officiis nec in hoc educandi munere studium et diligentiam desiderari patiebantur. Liberi profecto, quomodo ad virtutem adducti et a vitiis auocati fuerint, vna Cornelia, Gracchorum mater et Horatianus ille pater docere potest, qui traditum ab antiquis morem vocat, filiorum vitam famamque tueri incolumen, qui filium Romanum duxit, docendum artes, quas

²⁷⁾ *Mensiam* Augusto vindicanit C. RA V diss. de lege Mensia L. Vir Illustris mihique pie colendus 1786.

doceat quiuis eques atque senator semet prognatos ²⁸⁾ Neque profecto humile quid aut sordidum fecisse putabantur, verbi causa, Claudiorum, Scipionum, Fabiorum patres, si filios vel in gremio suo sedentes elementa litterarum numerosque docuissent. Quod tantum abest, vt iis indignum, vt potius honestum et glriosum iudicaretur, filios ad virtutem dictis factisque formasse. Sed plura non addam. Exemplorum enim huiuscemodi congerendorum studium, vereor, ne me apud quosdam in inuidiam adducat. ²⁹⁾ Ut vero ad viam, vnde paullum deflexeram, nunc reuertar, coronarum vsum, seniorum seculorum luxuria, omnem disciplinam euerrens, communem fecit. Sumtuariam legem claudit sanctio, qua auratae rei in rogum inieictio omnino prohibetur. ³⁰⁾ Quae quidem licet Romanorum paupertatem, quae eorum fuit temporum, consideranti, parum necessaria fuisse videatur: secus tamen esse sentiendum, rerum Romanarum scriptores, multum auri Deorum religionisque causa impensum fuisse testantes, satis docent. Quae intemperantia ad funera etiam pertinuisse, veri est simile. Quae vero legi nostrae adiecta est exceptio de iusto dentium auro vincorum vsu, ea, quam haberet sententiam et rationem, virorum

²⁸⁾ VALERIVS MAX. lib. IV.
^{5.} HORATIVS serm. I. 4.

²⁹⁾ Hunc locum illuftrissimis exemplis ornauerunt VALERIVS l.l. *Auctor dial.* de corrupta eloq. c. 28.
PLVTARCHVS in *Caione* maj. et in *Aemilio*. SYETON. in vit. Augusti c. 64. QVINCTILIANVS *Inst. Orat.* lib. I. c. 1. Perturbata deinde

republica, lapsa simul est Romano- rum praeclara disciplina. v. PER-
SII satyram III quae insectatur pa- rentum in puerorum ingenii for- mandis animisque ad virtutem fin- gendis iucuriam.

³⁰⁾ Adeundus SERVIVS in com. ad *Virgili* locos quosdam.

doctorum ingenia haud parum exercuit. Omnes omnium interpretum hac de re recensere opiniones, quarum quaedam omni veritatis specie destituantur, infinitum foret. De plurimis vero, quanti sint, non est obscurum. Quare, ne nimis longus sim, quae mihi coniiciendi competit potestas, ea iam' vtar. De dentibus singularem aliquam opinionem apud antiquas gentes obtinuisse, auctoriibus PLINIO et IVVENALE docemur.³¹⁾ Ille enim, quod hominem priusquam edito gente cremari morem gentium non esse, hic autem: quod

*naturae, ait, imperio gemimus cum funus adultae
virginis occurrit, vel terra clauditur infans
et minor igne rogi:*

colligendum videtur, eam humani corporis particulam maximi fuisse habitam, propterea, quod esset veluti signum humanae perfectionis et indicium maturitatis. Nemini igitur id mirum videri debet, dentes casu siue morbo amissos, auro, vt sit in rebus carissimis, ligatos magna cum cura asseruari fuisse solitos, vt aliquando, si quis diem suum obiisset, simul comburerentur. Dentium igitur tantam esse necessitatem in funeribus credidisse videntur, vt absque illis aditus ad inferos non pateret. Cuius religionis origo, causa et ratio, vix est, vt reddi aliter possint.

Haec habemus in duodecim, profecto secundum naturam, et prudenter et ad civitatis, quae tum angustis finibus continebatur, salutem augendam aptissime. Ipsos earum auctores non accuso,

³¹⁾ PLINIVS H. N. lib. 7. c. 15. IVVENAL. Satyr. 15.

quod in tanta necessariarum legum paucitate, de rebus minoris momenti et quae raro solum acciderent, leges scripsorint. Paucos enim eo tempore Romae fuisse dicunt, quorum patrimonium ad aurum bustis inferendum, murratam potionem et similes res sufficerit. Iam enim nihil dicam de quorundam opinione valde probabili, qui opinantur ipsa legis capita, quoad quidem hodie supersunt tantum abesse, ut omnium legum reddant sententiam, ut pluri- marum ad publicam ciuitatis rationem pertinentium, multarum ex iure priuato ne argumenta quidem supersint. Quae vero supersunt fragmenta, ex iis de toto, quod perit, corpore, rectum et idoneum iudicium ferri nequit. Decemuirī sane ea fuerunt pru- dentia, ut intelligerent, rem romanam haut posse contineri, nisi in summa ciuium frugalitate et parsimonia. Luxuria igitur irruens pecuniaeque honestis licet nominibus profundendae cupiditas repri- menda erat. Latae iam sunt leges, quae diuites, ab aere suo, et pauperes ab aere alieno ultra iustum modum in funera insuendo reuocarent.

CAPUT III.

De Aedilibus XII sumtuariarum custodibus. Syllae lex sumtuaria. Legis Iuliæ incertum de temperando funerum sumtu caput. Lex Fusia Caninia et de seruis pileatis.

Legis XII auctoritas et obseruatio quae fuerit, maxime primis saeculis post, haut esse potest obscurum illi, qui illius aetatis, quoad vitae morumque honestatem vere aureae, seueram disciplinam intueri voluerit. *Credo olim, inquit CICERO, minimum istius*

rei fuisse cupiditatem, alioquin multa extarent exempla maiorum. Sed, vt istam rationem, quam coepimus, teneamus, ceterae leges, suo quaque ordine et instituta sumtibus funebribus modum aliquem constituentia, iam sunt commemoranda. Primum quidem *Aediles*, ad tuendam politiam vrbis Romae constituti illi, inter cetera officia, rei etiam funeraliae praefuisse et, sicut de reliquis rebus ad curam suam pertinentibus, ita etiam de funerum ratione et sumtibus atque de monumentorum aedificatione edixisse, a non paucis dicuntur. Quae res cum in vtramque partem disputetur, in hoc sententiarum veluti diuortio, quid mili videatur, breuiter exponam. De vi munera et ambitu, quo *Aediles*, vrbis illi curatores, annonae, ludorum aliorumque solemnum rectores, splendebar, non conuenit inter viros doctos. *Io. Gottl. HEINECCIVS* ³²⁾ in ea est opinione, vt *Aedilium* edicta ad funera etiam pertinuisse censeat, eorumque modum cum ritibus exequiavum et omni monumentorum structura in illis fuisse descriptum. Quam ad rem vir summus his potissimum vtitur argumentis. Primum enim *OVIDII* auctoritate nititur, deinde ad inmarmoris apud Reinesium fidem confugit, *Ciceronis* etiam edicti *Aedilitii* mentionem facientis, locis quibusdam allatis, ³³⁾

Enimvero longe aliam rationem iniit *Ib. Dan. RITTER*, Heinecci notator, qui imprimis est secutus Georgium d' Arnauld ^{34).}

³²⁾ Histor. jur. Rom. §. 77. Antiquit. Cīc. Philip. IX. c. vlt.
jur. Rom. lib. II. tit. I. v. 4. ³⁴⁾ d' ARNAULD variae conject.

³³⁾ OVID. Fast. lib. 6. v. 663. lib. II. c. 23.
REINES. Inscr. II. 73. p. 291.

Primum quidem, Aedilium nullam fuisse de funeribus iurisdictionem defendit; quoniam Praetorum fuerit, hac de re edicere. Ovidii 34) deinde locum, quod vult Heineccius, minime probare: tibicinae enim Aedilium iurisdictioni non propterea fuisse subiectos, quod de sumtibus funerum coercendi facultatem habuerint sed quod in ludorum, quibus praefuerint, actores imperio sint gausi. Tum in lapide Reinesiano, ubi non Ed. Aedilitium sed Ed. Aedilis legeretur, nullam illius sententiae praesidium quaeri posse, maxime, cum loca digestorum, ubi de funerum sumtibus agitur, nullum Aedilem, qui ita edixerit, memorent. Ciceronis 35) denique locum, quoniam, quid ibi sit, *edictum funeri remittere*, omnes ignorarent, vitii quid habere, quod emendationis auxilio remoueri deberet, ibique pro verbo edictum, *deductum* et pro funeribus, *muneribus* legendum, haud esse a vero absimile, qua lectio ne recepta, omnia fieri clara. Quae quidem omnia quamquam habent aliquam veritatis speciem et propter ingenium multis forte an probantur: ita tamen persuasum habeo, Heineccii argumenta nondum esse euersa. Evidem, etsi non is sim qui nonnulla aduersus eius rationem moneri posse negem, ea tamen tantum mihi habere videatur ponderis, ut iure suo iterum propugnanda et tuenda sit. Primum Aediles Curules ludorum et munierum edendorum causa institutos, variis praefuisse negotiis, quae recensere vix est opus, satis liquet. Aedificiorum enim, viarum et reliquorum locorum publicorum curam et

35) Adde quod Aedilis pompam qui funeris irent artifices solos iusserat esse decem.

sere arque e republica existimare, aediles curules edictum quod DE FVNERIBVS habeant, Servij Sulpicij funeri remittere.

36) Cic. or. Phil. 9. *senatum cen-*

inspectionem cum rerum promercalium et annonae tuitione et iuris
in rebus ad politian pertinentibus dicundi potestate huic magistratu
tui propriam fuisse, nemo est, qui neget. Iam quidem, quae le
ges ex XII impensarum funebrium luxum removere iubent, eiusmo
di sunt, vt non possint non ad eas referri, quae politiae tuendae
gratia erant praecipue iussae. Politicarum vero legum et instituto
rum cum illud maxime sit proprium, vt facillime, nemine ex magi
stratis ciuium mores obseruante et omnia, quibus eorum vigor
adiuuatur, parante atque instituente, contemnuntur et mox obliu
ioni et desuetudini tradantur: Romani, eiusmodi in rebus plurimum
videntes, Aedilibus harum rerum omnem potestatem cum legum
funebrium tutela, quippe coniuncta cum institutorum politicotum
inspectione, atque iurisdictionem dederunt, vt illis inuigilarent at
que ne exolescerent, viderent. Dubitanti vero de sumtuum fune
brium modo et sepulturarum ritibus, fuerintne notionis aedilitiae
nec ne? propterea, quod praetor de religiosis et sumtibus fune
rum edixerit, illud responderi potest, quod, quae Praetorum fuit po
testas huiusc modi, ea aliis omnino finibus fuerit circumscripta et
alio pertinuerit. Quibus enim Digestorum locis de funerum
sumtibus tanquam iuris honorarii parte agitur, ea, si quid video
omnia ad edictum illud pertinent, ubi Praetor 37) ait: *quod*
funeris causa suuntus factus fuerit, eius recuperandi nomine in
eum ad quem ea res pertinet, iudicium dabo. In omnibus enim
Vlpiani, Pauli aliorumque quaestionibus excitato titulo discussis,
de eo agitur, quem funus facere oporteat, de sumtibus funeris
aestimandis, recipiendis vel non recipiendis, de deducenda funeris

37) v. L. 12. §. 2. π. de religiosis.

impensa et de funeraria actione. Edixit, confiteor, Praetor de sumtibus funerum. Sed, ea sane in re id tantum egit, vt quæstiones iuris, si forsitan ex facto quaereretur, quid legibus esset consentaneum in sumtibus alieno funeri impensis, definirentur. Quæ cum ita sint, et vere ita esse, res ipsa et legum contextus loquuntur, quid magis certum et expeditum esse potest, quam id, quod defendimus, Praetorem de funerum sumtibus edicentem causas solum, quas dicunt *iustitiae*, occupatas quippe in controvërsiis propter funerariae rei curam gestam motis cognoscendis et definendis, curasse, et omnem funerum recte parandorum curam supremamque inspectionem ad legis antiquæ auctoritatē tuendam omnino alienam fuisse a formula edictali. Itaque nec incongrue vterque cum Praetor tum Aedilis funerum sumitus per edicta definitisse potest dici. Illius enim formula, *iuris*, huius contra, *politiae* quæstionem maxime attigit. Ille definiebat, quantum repetere, hic, quantum facere liceret sumtuum in aliquem sepelendum. Ille partibus de facto litigantibus ius reddebat, hic non item. Ibi lis, hic nulla: ibi decisio rei controvërsæ, hic iussus et imperium magistratus. Quæ ratio eo probatior verique similior fit, quo certius, quantum eidem sciam, est, nullib[us] nec Praetorem nec alium quempiam magistratum praeter aediles, de funerum modo et iusta sumtuum ratione, quam excedere nefas, cognouisse legi. Cui accedit, quod, vt supra iam est demonstratum, haec decimuiralis legis sumtuariae tuitio, a ceteris, quibus praeferant Aediles, muneribus, non modo non abhorrebat, sed iis adeo cunimaxime erat consentanea. Ad has rationes, si addideris, ea, quibus ysus est Heiniccius, argumenta, quorum ea est ratio ac

vis, ut prorsus reiici nequeant, aut fallor, aut quam defendo, sententia, in dubium vocari nequit. Sed, quibus nos telis aduersarii petunt, ea iam reiciamus. Habemus enim, quo nos defendere possimus. Quod enim tibicinum numerum propterea ab Aedilibus definiri potuisse aiunt, quod illi horum iurisdictioni subiacabant, id ponderis parum habet, quin nullius esse momenti, mox adparebit. Aedilium enim in tibicines iurisdictionem, si qua fuit, certum est, ita late patere non potuisse, ut tibicinum numerus a iudicu[m] arbitrio penderet. Quis tandem est, qui iurisdictioni inesse statuat facultatem edicendi de finibus artis, quam profitentur, qui subsunt illi? Deinde, ni Aediles tibicinum numerum ad decem reuocantes legis XII maiestate se defendere potuissent, profecto rem aegre tulisset Senatus, quem nec Censoribus, nec Aedilibus propter hanc rem succensuisse ex Liuio intelligimus.³⁸⁾ Senatus enim, comperto tibicinum abitu, eius rei religione permotus, Tibur legatos misit, qui darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Porro, alterum Ritteri argumentum, quo oppugnat[ur] monumenti Reinesiani auctoritas, nos non morabitur. Quod enim Aediles non singuli sed de vtriusque sensentia edixerint, id quidem vero est simile sed non certum, atque sin etiam indubitatum foret, dicendum est, vnum tantum ex Aedilibus esse nominatum ex veterum more, qui, vbi de instituto aliquo disserunt, quod duobus debetur, saepius vnum tantum memorant auctorem. Tum, quod Ritterus negat edicto Aedilium opus fuisse, cum illa de auro bustis sepulcrisque non inferendo prohibitio ex XII tabulis

³⁸⁾ Liv. lib. 9. c. 30.

descendat: id non ita mihi videri, palam profiteor. Aedilium enim erat, leges XII tabularum, qua ad politiam spectabant, custodire, tueri et vigori suo restituere. Itaque e re fuit, illas interdum repetere et denuo inculcare. At, in quibusdam digestorum fragmentis ³⁹⁾ vbi de funerum modo agitur, nihil de Aedilibus. Ad alium igitur, quisquis sit, edictum, quod lapis memorat, est referendum. — Nego. Nam, eiusmodi argumentationem nullius esse potestatis, ad id, quod disputatur, demonstrandum, quilibet vel me non monente videt. Quod ratiocinii genus si valeret, eodem iure vel nos illis locis vti possemus. Nec enim ibidem fit Praetorum mentio, nec XII tabularum. Sed, eo temeritatis, vt illos in edictis, decemviros in XII de funeribus cauisse negemus, nos non progrediamur. Quem vero Ciceronis locum obscurum illum emendat d' Arnauld, eum nostrae sententiae plurimum roboris esse additum, eo magis confidimus, quo certius est, illa ingeniosa emendatione, qua locum tentauit ille, vix esse opus. Illud jam primum vrgeo, quod acutissimus huius conjecturae auctor, cum debuisset obscura interpretari, emendare maluit, et vbi contextus sensum admittebat satis commodum, medicinam adhibere conatus est. Quam vero proposuit emendationem, ea vix satisfacere potest illis, qui recordari voluerint, Ciceronem in loco excitato *vniuerse*, de honoribus Sulpicio tribuendis, de statua ponenda et funere publico decernendo loquutum esse. Orator sane si censisset de muneribus superstitionibus edendis, quod vult d' Arnauld, reliquorum, quae singula in Sulpicii honorem

³⁹⁾ I. 14. §. 5. π. de relig. I. 113. auro, argento etc.
§. 3. π. de leg. I. 1. 40. §. 2. π. de

essent suscipienda, mentionem non potuisset omittere. Ciceronis vero consilium plane aliud fuisse, tota orationis series docet. Deinde, etsi recte a d' Arnauld est obseruatum, vulgata lectione recepta, Senatum videri ad Sulpicii funus opus habuisse Aedilium suffragiis, imprimis, cum Cicero, quod fuit solenne, Senatum ait censere, e republica existimare: alia tamen eaque talis emendatio est in promtu, qua, si locus vere est corruptus, verosimile fit, eiusmodi textus depravationem contingere potuisse. Quid enim? si legas: *aedilis curulis edictum, quod de funeribus habeat etc.* nisi me omnia fallunt, idonea est loci sententia. Iam enim, *remittere*, quod lectio vulgata ad aediles referri iubet, ad Senatum est referendum, qui iam propria potestate edicta aedilis missa facit. Ita mihi persuadeo, hoc sibi velle Ciceronem: Senatum e republica existimare, aedilitium edictum, quod de funeribus extat, propter honorem Sulpicii cessare debere.

Quod ad supremum RITTERI argumentum attinet, quo Cicerro in eo de *legibus* loco, vbi de funeribus disserit, quoniam tacitus praeterit edictum, quod de funere Aediles habebant, ea re significasse ipse videtur, eiusmodi quid non extitisse: id nos non mouere debet, vt in aduersam sententiam transeamus. Istud enim commemorare Ciceroni ne opus quidem fuit, partim, quod ibi id solum, *quid esset in legibus, et quaenam fuerit maiorum sapientia, quaerebatur*, partim, quod prudentissimus librorum de *legibus* auctor non ignorabat noui nihil et quod dignum commemoratu, ab Aedilibus fuisse statutum aut statui potuisse. Aedilibus enim, quid maius statuere licuit, quam maiorum leges et instituta in usum reuocare? Est enim omnino indubitatum, nec Praetores nec Aediles ius

necum sancire potuisse. Quibus omnibus in vnam veluti summam collectis et rationibus rite subductis, manifestum fit, Aedilium Curulum fuisse omnino aliquod de funeribus edictum, quod leges XII sequeretur, servaret et tueretur. Sed de his iam satis.

Fere est, vt, quae hactenus de Aedilitio edicto instituta est disputatio, nos credere faciat, leges XII non suffecisse ad retinendam et conseruandam in funeribus faciendis parsimoniam. Sed, Romanos per aliquot secula in iustis faciendis, diuitiis immensis iam in vrbem delatis non adeo abusos esse, vt legum frenis, quibus praui mores coercentur, opus fuerit, illud, licet iam ex eo intelligitur, quod nihil eiusmodi legum ante Syllam latum legatur, certum fit *Ciceronis* loco iam ante memorato, vbi Quintum, quemcum de legibus disputat, ita loquentem inducit, credo, minimam olim istius rei fuisse cupiditatem, alioqui multa extarent exempla maiorum. — Quos enim ad sumitus progressa *iuni* ista res sit, in Caii Figuli sepulcro vides.

Contigit aliquando, vt multum pauoris tumultusque intra moenia Romana esset, republica multiplici clade afflita. Quo tempore cum totam vrbem tantus oppleuisset luctus, vt sacrum anniversarium Cereris intermissum sit, quoniam Liuio narrante⁴⁰⁾ nec lugentibus fuit id facere fas, nec vlla in ista tempestate matrona expers luctus erat: factum est Senatusconsultum, quo, ne alia quoque sacra desererentur, diebus triginta luctus est finitus. Quod SCtum, in re trepidam factum, cum vniuerse omnem luctum in sin-

⁴⁰⁾ LIVIVS lib. 22. c. 56. Addatur VALERIVS MAXIMVS lib.

gulari casu, reipublicae fatali, positis limitibus continuerit, ad hunc, quem tractamus, locum, non pertinere, manifestum est. Tum de lege Cornelia sumtuaria dicendum, quae, sicut coenarum sumtibus gulaeque modum fecit et summam pecuniae, quam sollempnibus diebus insumere liceret, constituit, ita etiam funebri luxuriae finem potuisse videtur. Quae lex, plurimarum eiusdem generis comes, quo anno sit lata, quaque de causa, quodque vniuersum eius fuerit argumentum, iam latius persequi, non est mei instituti sed eorum, qui ad leges Romanorum sumtuarias interpretandas accesserunt. Id vnum, quod de funeribus ibi praeceptum, fuit, attingamus. Meminit eius PLVTARCHVS, in Syllae vita inquiens: παρεβαινει τα περι της ευτελειας των δειπνων οπ' αυτε τεταμενα, ποτοις και συνδειπνοις τρυφας και βαμβολοχιας εχει παρηγορων το πενθος. Quo quidem ex loco, quamquam totius legis ratio satis perspici nequit, quoniam, vtrum plura eius extiterint capita, an de solis scurrilibus doloris mitigandi causa ad epulas funebres non adhibendis praeceperit, non intelligitur: illud tamen non incognitum est, hac ipsa lege fuisse statutum, lugentes luxuriae et scurrilibus cedere non debere. Syllam igitur voluisse reducere pristinum Romanorum morem, quo in conuiuiis, summa frugalitate paratis, non lasciuiae sonabant cantilena, non nugarum et fabularum cantores audiebantur sed laudes et res gestae illustrium virorum canebantur atque, qui recitarent libros vel philosophorum vel historiorum, adhibebantur, a vero non adeo seiunctum videtur. Vtrum vero omnes omnino sepulcrales coenas prohibere, an solum impensis moderari, auctori fuerit constitutum, illud accurate definiri nequit. Legem vero istam effectu caruisse, quippe quam ipse

lator, cum Metellae obitum lugeret, quo doloris acerbitatem leniret, violauit, historia romanae luxuria, quae eo tempore, sicut in multis aliis rebus ita imprimis in sepulturis in immensum proruperat, clarissime ostendit. Sed, nec illius legis, cuius Cicero meminit, et quam multum timebat, est obliuiscendum. Cuius quidem et auctor et aetas et sententia quamquam inuestigari nondum potuit: ea tamen in re coniecturis aliquid effici posse, persuasum habeo. Tullius, grauissimo casu, puto, obitu Tulliae perturbatus et victus, cum nec amicorum preces, nec auctoritas clarissimorum virorum nec litterarum et sapientiae solatia leuare luctum possent, ut extaret aliquod amoris sui in filiam monumentum perenne duraturum ipsique, quo secederet, locus solitudinis causa, qua iam nihil habebat gratius, non decesset, in animum induxit, Tulliae memoriam posteritatē tradere monumento exstruendo, quod effugeret sepulcri similitudinem sed fani speciem maxime referret. Atticus negotium suscepserat hortorum cōmendorum. Ipse curabat monumenta omnis generis, Graeca et Latina, quibūs veluti consecraret fanum suum. Quo consilio suscepto, cum ipsi lex sumtuaria occurrisset, hanc rem Attico suo ita significauit: 41) *antequam a te proxime discessi, numquam mihi venit in mentem, quo plus insuntum in monumentum esset, quam nescio quid? quod lege conceditur, tantundem populo esse dandum rel. rel. nec non, litteris sequentibus: fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest: sepulcri similitudinem effugere non tam propter legis poenam studeo, quam ut maxime assequar αποθεωσιν* —

41) CICERO epp. ad Attic. lib. 12. ep. 35. ep. 36.

si sibi res, si locus, si institutum placet, lege quaeso legem
mihique eam mitte. Si quid in mentem veniet, quomodo eam
effugere possimus, vtemur. Quae sit lex ista, cuius poenam Tullius
effugere cupiebat et quam se negabat satis cognitam habere,
non vna omnium est sententia. Qui vero ibi Aedilium edictum
deprehendi existimabant, iis iam reposuit RITTER, monumenta,
quae extra urbem essent, ideo Aedilium iurisdictioni subesse non
potuisse, quod ea pomoerii ipsius urbis terminaretur: cui accedit,
quod Aedilium non erat, in formulis suis noui quid, quod nondum
esset lege quadam expressum, proponere. Georg SCHVBARTH⁴²⁾
ius romanum eximie doctus, noluit ad eorum sententiam accedere,
qui legem Iuliam, quam Caesar Dictator de sumtibus moderandis
tulit, hoc loco intelligi, sunt suspiciati, maxime propter hanc causam,
quod, si nuper a Iulio de monumentis aliquid fuisse iussum, eius
tam cito non potuisse demernisse Tullius, ut ita haec sanctio
omnino aetatis paullo vetustioris haberri deberet. Verum enim
vero, Dionysius GODOFREDVS, recte, si quid video, coniecit, per
legem eam nullam aliam nisi Caesaris sumtuariam intelligendam
esse, quam vel Cicero alio loco commemorauit.⁴³⁾ Quae Godo-
fredi sententia RITTERO etiam ideo probabilis est visa, quia oportet
eam legem non multo ante id tempus, quo Cicero fanum
Tulliolae defunctae aedicare cogitabat, latam esse, cum eam et
maxime timeret et ne satis quidem haberet cognitam. Atque ita

⁴²⁾ SCHVBARTH in Fatis iu- 26. v. ERNESTI in clave vox. *Iulia*
rispr. rom. ex. II. §. 80 p. 384. sq. *sumnar.* RITTER ad Heinec. loco

⁴³⁾ ad Attic. 13. 7. ad diuers. 7. s. laud.

omnino res se habere videtur. Cicero enim legum alioquin sciensissimus, republica ciuilibus discordiis fessa atque in Caesaris manum translatā, cum in ea amplius esse nollet, ad litteras et studia se recepit. Quibus rebus facillime poterat euenire, vt res in vrbe, a qua saepius rusticandi causa discesserat, a Caesaro gestas, verbi causa, legum nouarum formulas vel non cognosceret, vel cognitas parum curaret. Rem enim publicam, quae nulla ipsi esse videbatur, non attendens, quippe spoliatus domesticis et forensibus ornamentis, litteris suis ita vtebatur, vt omne in iis consumeret tempus. Adde, quod Ciceroni, quoniam¹, cum has ad Atticum litteras mitteret, Asturae se abdidisset, legis istius formulae exemplar, forsitan deerat. Tum certo illius, si vetustior Iulia sumtuaria fuisset, eo loco vbi de legibus ad funeris sumptus minuēdos latis plenius disseruerat, mentionem inieciisset. Libri enim de legibus a Cicerone conscripti, cum praecedant id tempus, quo Caesar rem publicam a se occupatam nouis cooperat legibus constituere, manifestum est, quam Tullius ad Atticum scribens legem memorat de impensis monumentorum, eam non esse Caesaris sumtuaria antiquiore. Sed in re, de qua in utramque partem potest disputari, ne iudicium meum temere interposuisse videar, certum quid defendere non audeo. Iulii vero Caesaris aliquam sumtuariam fuisse, id quod in dubium vocare ausus est, ad epp. Ciceronis p. **MANYTIVS**, fortissimis argumentis demonstrauit l. a. **ERNESTI** l. l. Plura ad hanc legem, quae addi possent, non habemus. Ad Imperatorum igitur aetatem legesque deinceps latas iam proficisciendum videtur. Quas vero memorauiimus sanctiones sumtuarias qui intuetur et simul reliquas, quibus luxuria in coenis, vestimen-

tis vniuersoqe corpōris vitaeque cultu est obuiam itum, animo complectitur, non potest non valde mirari, quod libera republica tantus eiusmodi legum prouentus fuit, maxime, cum sub Imperatoribus magna earum deprehenditur paucitas. Qua in re recte aestimanda, eiusque causis reddendis, quamquam multum iuaret scire, vtrum parsimoniae studium atque sumtuum modus eam habeat naturam atque indolem, vt legum vim atque necessitatem capiat, atque, si rēs ita esset, expeditne reipublicae legum sanctionibus adiecitisque poenis impensarum fines describere, hunc tamen locum, ne oratio mea nimis evagetur, alia opportunitate mihi oblata tractandum, iam relinquo, hoc loco causas tantum redditurus, quibus est factum, vt tot numero leges de frugalitate et parsimonia, stante re publica latae parum profuerint atque imperatorum aetate earum ipsarum nulla fuerit necessitas. Primum quidem, Romanos cives, Graeca religione et superstitione impeditos, in sacris peragendis et funeribus celebrandis ad summam profusionem esse prolapsos, rerum ab iis gestarum monumenta loquuntur. Plebem enim incautam, vbi superstitione capitur, plus vatibus, quam ducibus obedire, Curtius recte animaduertit. Ad memoriae conseruandae studium et ipsum doloris leuamen, quod ista luctus sollemnitate quaeritur: quae profecto plurimum valuere ad eiusmodi sumtus augendos. Multos denique, vt pecuniae plurimum hac in re perderent, luctus simulatio impulit, fastus et superbia, quae in sumtuum magnificencia gloriam quaerit. Ad quam Romanorum in opibus profundidis temeritatem coercendam, leges sanctione poenali licet munitas, parum fecisse, non mirum videbitur illi, qui cogitauerit, hoc esse commune omnium legum sumtuariarum, vt lex vix perlata, iam

breui exolescens, nouae sanctionis auctoritatem efflagitet. Homines enim, vt virtutem colendam putent, vitamque sobrie et temperanter agant, non legum vi atque coactione efficitur. Deinde, mos inualuit, variis artibus legum sententiam circumueniendi poemaque statutam per fraudem effugiendi. Cuiusmodi quid ipsum Ciceronem cogitasse, iam me dicere memini. Romanam tum rem publicam, diuinitis et opibus indies crescentem, luxuria cum superbia ita inuasit, vt ciues, dum sua parui penderbant, nec modum contentionis nec modestiam tenuerint legumque fraena pati noluerint. Atque, quoniam exemplorum magna est vis in vtramque partem in animos hominum et qui sunt inferiori loco constituti, in rebus agendis maxime intueri solent superiorum mores et vitam, facile intelligitur, principibus et optimatibus in violandis legibus praeentibus, saluberimas sanctiones non potuisse non contemni. Res nemini obscura, exemplorum fide non indiget. De Sylla ac Cicero ne iam supra. Caesar ⁴⁴⁾ populo epulum pronunciauit, quod ante eum nemo. Tiberius igitur Imperator, ⁴⁵⁾ cum ad eum Aediles detulissent, sperni sumtuarias leges, incertus animi consiliique inops, tam profusas negauit coerceri posse cupidines. Litteris enim ad Senatum compositis, *impares*, inquit, *leges his flagitiis reprimendas*, adiecta ratione grauissima et verissima, si quis leges sanciret poenamque indicaret, eosdem illos, qui in conuiuis et circulis inculpare ista et modum possere solerent, ciuitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem, clamitatores. Quibus causis sublatis, mirum non est, vel ipsam luxuriam

⁴⁴⁾ SVETONIVS, in Iul. c. 26. ⁴⁵⁾ TACITVS Annal. lib. 3. c. 53.

licet non extinctam, certo tamen imminutam esse. Rem narravit idem TACITVS. Romae enim, ait, postquam caedibus saeuitum, atque famae magnitudo, diuitiarum splendor et munificentiae studium exitio esse coepissent, simul noui homines e municipiis atque prouinciis in Senatum crebro adsumti, domesticam parsimoniam intulissent, status rerum est mutatus. Quibus accedit, quod sub Principibus, pauperes necessitas, diuites pauor atque metus in melius mutauerant. Ut nihil dicam de superstitione paullatim immunita deorumque cultu, religionisque exercitio sensim cessante. Certe, MACROBIVS,⁴⁶⁾ id, quo viuebat, seculum tanto ad omnem continentiam promptum fuisse refert, vt pleraque earum rerum, quae Syllana lege ut vulgo nota comprehendenderentur, nemo ne fando quidem comperisset. Ex quibus vniuerse de luxu Romanorum eiusque fatis commemoratis, prono alueo id, quod rei caput est, fluit, vt ciues sponte et volentes frugalitatem colant, ad id legum vim atque coactionem parum valere. Exemplorum bonorum pulchra veluti imago rectaque institutio, quae versatur in opinionibus, ad id, quod dixi, consilium accommodatis, animis paullatim instillandis, validior est atque efficacior. Sed haec aliis me multum doctioribus iam sunt exposita.

Verum, ut ad propositum redeam, ad legem Fusiam Caniniam est progrediendum. Dicat aliquis, quam tandem lex Fusia Caninia, quae manumittendi licentiae noxae fines posuit, vim habuit ad impensarum funebrium modum certis regulis regundum? Nempe hanc, quod hac ipsa sanctione refrænata est morientium super-

⁴⁶⁾ MACROB. saturn. lib. 2. p. m. 373; ed. Bipont.

bia, qui totam saepius familiam testamento manumittebant, ut benignitatis laudem post mortem manciserentur et in funere lecticam magnā pileatorum frēquentia prosequeretur. Quae nimia moribundorum liberalitas Augusto displicebat, magni existimanti, sacerum atque ab omni colluione peregrini ac seruulis sanguinis incorruptum seruare populum. Qua de re latum dicendi campum haberemus, ni otium fecissent, qui legum Fusiam partim peculiariis libris, vt *Ephr. GERHARD* et *MATANSIUS*, partim oblata opportunitate illustrauerunt, veluti *HEINECCIVS* et *OTTO* ad I. De more autem pileum raso capite ferendi in seruis per testamentum libertate donatis recepto, non est, quod exponam. Nam, eius non solum apud Dionysium, Plutarchum, Quintilianum, sed in nostris quoque legum libris, fit mentio.⁴⁷⁾ Vnum *PERSII*⁴⁸⁾ locum excitabo:

— — at illum

Hesterni capite induito subiere Quirites.

Deinde de argumento nostrae legis et causis, cum omnia iam sint plana, nihil addo. Illud autem, nescio quo pacto euenit, vt interpretum, quos noui nemo eam attigerit quaestionem, cur heri et vix manumissi, qui ad libertatem praeter pilei impositionem, aditione hereditatis indigebant, a Persio Quiritium nomine sint appellati, quo nondum poterant. Libertatis enim testamento licet pure datae dies non cedebat nisi ab adita heredi-

⁴⁷⁾ tit. I. de leg. Fus. Canin. toll. un. C. de latin. lib. §. 5. l. 10. C. de VI. P. fragm. I. 24. *PAVLVS* rec. test. man.

sent. 4. 15. *CAIVS.* Inst. 2. 2. l. ⁴⁸⁾ *PERSIVS* satyr. 3. sub fin.

tate.⁴⁹⁾ Nam Iustinianus etiam, cum aduersus legem Papiam edixisset, diem legatorum cedere a tempore mortis, ius antiquum retinens exceptit legatum vsusfructus et libertatis. Sed illud adeo quaeri potest, qui factum sit, vt serui, facto heredis nondum libertatem consequuti, cum aditio et cretio ab herede saepe in longius protraherentur, pileo, libertatis quippe insigni, donati, funus domini sequi potuerint? Respondet ICtorum primus, CVIACIVS⁵⁰⁾ directo manumissos in testamento, pileum statim sumisisse, nec tamen solam eius impositionem ad libertatem suffecisse. Qua quidem ratione non negauerim, manifestum fieri, Persium impro- prie, quod aiunt, loqui, propter morem Romanorum, quo, mox Quiritum ius nacturi, pileo vti non prohibebantur. Sit sane ita. Sed illud remanet dubium, tabulis nondum inspectis, vnde con- stiterit de testatoris voluntate, quosdam libertatis beneficio augere volentis, qui se, cum efferretur, sequerentur? Fac enim, libera- tes testamento datas aliunde, quam ex testamento cognosci non potuisse, qui potuerunt, nondum intellecta supremi iudicij sen- tentia, noui Quirites, funus beatuli domini splendidius reddere? Sed, non est, quod anxxii simus de huiusce rei difficultate. Lex Julia de vicesima hereditatum, de qua magno antiquitatis adparatu BVRMANN et SCHVBERTH disseruerunt¹⁾ paullo ante legem Iuliam et Pappiam Poppaeam perlata ab Augusto eo consilio vt

⁴⁹⁾ l. 10. C. de test. man. l. 8. π. libus populi, Romani cap. II. hic, in quando dies.

⁵⁰⁾ CVIAC. Obss. lib. 3. obs. 23. diss. de iustitia transactionis testa- menti nondum inspectis tabulis ob- sublatam vicesimam hereditarianam,

¹⁾ Ille quidem in tr. de vectiga- Helmst. 1749.

aerarium militare aliquo vectigali locupletaretur, cum hoc ageret, vt fiscus suam vicesimam statim consequeretur, cauerat, vt testamento intra triduum vel quinque dies, ab absentibus intra eosdem dies, ex quo superuenerint, aperirentur. 2) Heres vero etsi non poterat adire hereditatem, ante tabulas apertas, nequaquam tamen, cognito testamenti argumento, statim adire cogebatur sed mora quaedam in adeundo et dilatio non erat iniusta. Causa illius sanctionis erat, partim ne mora vectigali fieret, partim ne causa cadiucorum esset deterior, partim, vt iussa in testamento, quae praesentem haberent causam nec moram ferrent, religiose seruarentur. Iam, cum defunctorum elationem, neminem praetereat, ante octauum diem non fuisse peractam, efficitur, seruos pileo donatos, licet incertam libertatem tantum sperantes, propter cognitam testatoris voluntatem, adhiberi potuisse funeri Patroni in orco habitantis. Quo loco, cum de apertura testamenti loquimur, loquimur de illa minus sollemni et simplici, quam plerumque altera, sollemniss sequebatur. Atque de illa disputauerunt CAIVS et VLPIANVS ad legem Iuliam et Papiam 3) aliisque. Quae hactenus sunt proposita, quamquam ita certa atque indubitate videantur, vt res copiosa disputatione vix indigeat, tamen parum abest, quin rem expediant, si quidem vera sunt, quae HEINECCIVS defendit 4) Non omnia, quae Vir Summus locis ad marginem laudatis protulit,

2) PAVLLVS rec. sent. IV. 6.
§. vlt. vbi vid. SCHVLTING.
3) I. IO. II. 12. π. testam. quem-
adm. aper.

4) HEINECCIVS in π. Pars. V.
not. ad §. 98 et ibid. ad §. 161. et
in comment. ad leg. Pap. Pop. lib.
3. c. 2.



repetam, ea tantum commemoraturus, quae ad illustrandam eius sententiam videntur esse necessaria. Lege Iulia vicesimaria solemnis aperiendi ritus, antea non usurpatus, inualuit: quo non obseruato, nulla videbatur hereditatis aditio. Quae apertura fieri debebat tertio vel quinto die, *non a die mortis, sed ab eo tempore numerando*, quo, iustis iam factis, familia purgata erat. Mortuo enim per septem dies deplorato, cum *octauo* funus, *nono* reliquiarum collectio fuissent peracta, decimo lustrari familia consuevit. Inter hos dies nihil auspicio fieri potuit. Funeris enim cura militem a munere militari, reum a vadimonio immunes fecit. Quae cum ita sunt, illud triduum initium a denicalium fine habuisse, vero est eo similius, quo certius constat de Romanorum religione, quae haud passa est heredem de adeunda hereditate hoc tempore cogitare. Quibus quasi in unam summam collectis, efficere vult Heineccius, ut propterea illud triduum dies denicales presesse sit secutum. Sed haec omnia ita se habere valde dubito. Primum enim, triduum necesse est a mortis die computetur ideo, quod saepius sententia testamenti aliunde, quam ex ipsis eius tabulis inspectis cognosci non potuit. Fingas iam, testatorem de funeris modo vel impensa in ipsa cera tabulaque aliquid iussisse, eam rem qui heres perficere potuisset tabulis opertis et testatoris voluntate aliunde non comperta? Sed longe firmiores ad stabilendam meam sententiam eae sunt rationes, quas iam proferam. Dierum denicalium, quos Cicero a *nece*, Festus a *venus* nominatos putant, ratio, quae fuerit, etsi accurate definiri non potest, illud tamen non dubitatur, eas ferias purgandae propter mortuum



familiae causa fuisse institutas, 5) et omnino a diebus feralibus fuisse diuersas. Hi enim, dies ferales puto, sicut in Manium honorem medio quoque Februario publice, ita illi, videlicet denicales, priuatim, cum quis ex familia diem suum obiisset, celebraabantur. Istos vero denicales testamentorum aperturae haudquam fuisse impedimento, primum ex eo patet, quod funeris cura et iustorum obseruatio non necessario ab omnibus heredibus ipsis esset peragenda. Funeris quidem sumtus et quicquid eius causa erat impensum, quamquam ab herede essent exsoluenda iudiciumque in eum a Praetore eius rei gratia daretur, saepius tamen accidit, ut, absente forsan herede vel rem ignorante, vel propter valetudinem vel ob aliam causam impedito, vel funerandi curam alii mandante, id officii defunctis ab aliis, non heredibus, praestaretur. Plerumque enim defuncti ante sepeliuntur, quam quis heres eis existet secundum l. 24. π. de relig. Saepenumero igitur, cum nulla lustratio die denicali peragenda heredi non funesto fuit necessaria, recte ab eo potuit cogitari et cogitandum erat de aperiendo iudicio supremo. Sed conficit rem PAVLVS l. l. inquiens: *testamentum lex statim post mortem testatoris aperiri voluit, et ideo, quamvis sit rescriptis variatum, tamen a praesentibus inter triduum, vel quinque dies aperienda sunt tabulae.* Quibus verbis cognitis, quis est quin omnem aperturae dilationem lege Vicesimaria remotam censeat? Vocabula enim *statim* quid aliud vult quam illico post mortem aperiendas esse

5) CICERO de Leg. lib. 2. c. 22. MANN l. l. IV. I. OVIDIUS Fast.
FESTVS subv. denicales. KIRCHI H. v. 567.

tabulas? Augustus enim, si denicalium antiquitatem respexisset, certe fuisse omittitur verba *post mortem*, quibus omnis mora longior excluditur. Denique et alia neque minus grauis ratio est ex **GELLIO** petita.⁶⁾ Feriae denicales, lustrandae familiae causa institutae, si non necessario decimo quoque post alicuius mortem die erant celebrandae, sed in aliud conferri poterant, sequitur, iisdem testamentorum aperturam differri non potuisse. Illud autem ita se habere, aut fallor, aut **GELLI** loco fit probabile, qui auctor fidei profecto non sublestae: *militibus* inquit, *scriptis dies praefiniebatur*, quo die adessent, his adiectis exceptionibus, nisi haruic quia causa erit, *funus familiare feriaeue denicales*, quae non eius rei causa in eum diem collatae, quo is eo die minus ibi esset rel. Ex quibus patet, milites, quominus adessent diebus denicalibus, impeditos, iurare debuisse, se eius rei causa illas ferias non in eum diem contulisse. Verbum vero *conferre*, cum hoc loco nihil sit aliud nisi differre, in aliud diem reiicere, si ea differendi potestas lugentibus non competisset, diesque purgationis certus fuisse et immutabilis, hanc, quam proposuit Gellius, exceptionem adiunxisse ineptum foret. Dies vero hic si arbitrarius fuit, non ridiculum est iusurandum in hanc formulam conceptum. Iam enim lustratur familia die, quicunque magis placuerit, non eo, quem casus seu mors necessarium posuit. Haec autem omnia, quorum disputo? ut argumentum, quod aduersus me ex triduo a diebus denicalibus, ut Heineccius vult, computando, ducitur, diluam et dissoluam, simulque demonstrem, ser-

⁶⁾ A. **GELLIVS**, Noct. Att. lib. 16. c. 4.

vos manumissos, cum tabulae intra triduum essent aperiendae,
recte dici interfusse sollemnitatibus domini funebris octauo die
peragi solitis. Recte igitur Persius hesternos ait induito capite
dominum subisse Quirites.

CAPV T IV.

*I*Ctorum de sumtibus funeris causa faciundis sententiae.
*I*mperatorum sanctiones. *P*atres ecclesiae quid de eadem
re iudicauerint.

Ad luctum variae pertinebant leges, varias mutationes exper-
tae, quas iam late persecui non attinet. Imperatorum enim tempo-
ribus, in tanta rerum conuersione morumque insigni discrepancia,
priscarum legum auctoritas partim prorsus infringi, partim multum
debilitari potuit. Quae olim, cum ciues iugi tyrannici essent inexperti
pauca damnatae memoriae, sepulturae luctusque denegati exempla oc-
currebant, eorum iam magna frequentia esse coepit. Poenis coniura-
torum illud additum, SVETONIVS 7) narrat, vt insepulti proiice-
rentur. Qua poenae ignominia ipsos adeo Imperatores interdum
fuisse affectos, historia testatur. Nec solebant lugeri, vt NERA-
TIVS ait, hostes vel perduellionis damnati. 8) Deinde per quod
tempus maritos elugere, vxores a prima rei romanae aetate erant
obligatae, id non uno nostrorum librorum loco confirmatum sci-

7) SVETON. Vespas. c. 2, tantur.

8) L. II. §. 3. π- de his, qui no-

mus. In edicto Praetoris infamia vel ille notatur, qui eam, quae in potestate eius esset, genero mortuo, intra id tempus, quo eluere virum moris est, in matrimonium collocauerit et qui sciens eam vxorem duxerit ⁹⁾ Viduae vero, quae ratio luctum imperauerit, etsi disquirere non iniucundum foret, idque eo magis, quo certius est, illam turbationem sanguinis, rectene fuerit verenda an non, dubitari posse, deinde de luctu propinquorum, sola voluntate et humanitate, an lege et necessitate fuerit definitus: haec tamen, quoniam a multis iam sunt tractata et disputata et ad nostrum institutum non omnino pertinent, ni fallor, recte iam omittuntur. Redeo igitur ad eum modum, qui seruari debet in funere faciendo, memoria defuncti celebranda atque vniuerso homine, quo, qui e vita excesserant, eorum Manes placari atque expiari solebant. Atque legum quidem ad luxum in funeribus infringendum comparatarum sub Imperatoribus tantum prouentum non fuisse, qui superioribus temporibus, iam antea me significare memini. Quae res, quas habuerit causas, ibidem exposui. Ictos etiam, de iure circa exequias respondentes, iuris antiqui rationem seruasse, non est obscurum. Nam Ictorum, quorum responsa in Pandecten immigrauerunt, de funere faciendo sententiae, quid ingenii habuerint, si uno verbo complecti volueris, ita haud dubie foret dicendum: sepulturas fieri et monumenta estruvi, quoniam necessitas, publica utilitas et religio postulant, stricta ratio in eius modi causis est insuper habenda, nihil vero superstitionis ergo, ultra modum et quod pietatis fines excedat et humanitatis, est

9) I. I. ff. dicto tit.

committendum.¹⁰⁾ Quibus profecto opinionibus nihil excellentius et ad rationem accommodatius cogitari potest. Quam ob causam, cum saepe in iudiciis de funeris impensa recuperanda disceptaretur, quoniam Praetor, quod funeris causa sumtus factus est, eius recuperandi nomine in eum, ad quem ea res pertinet, iudicium se daturum edixerat, Romani non solum Imperatores sed imprimis ICTi accurate definierunt, funeris sumtuum nomine quid veniret et quantum repeteret eam ob rem liceret. Qua in re aestimanda non tam defunctorum voluntatem, quippe quam saepenumero vel ob simplicitatem vel ob superstitionem ineptam intellexerant, spectabant, quam facultatem et dignitatem eius, cuius causa sumtuum quid erogatum fuit. Cuius generis sumtuum appellatio plerumque adhibebatur de ea pecunia, quam quis custodiendi et vestiendi cadaueris causa dedit et quae in funus ducendum, efferendum et inferendum secundum iustum rationem fuit impensa. De impensis vero monumenti, cum ex facto quaerebatur, ytrum eae tamquam aes alienum hereditati inhaerens possent deduci, Marcellus a Paullo citatus respondere non dubitauit¹¹⁾: non amplius nomine aeris alieni, licet testator iusserit, quam quod funeris causa consumptum esset, deducendum videri: nam eius, quod in exstructiōnē monumenti erogatum, diuersam esse causam, nec enim ita monumenti aedificationem necessariam esse, ut sit funus et sepultura. Itaque vniuerse, actio funeraria et quae illi adiuncta erant commoda, aduersus eum, cui funerandi officium incubuit,

10) I. r. §. 6 π. de mortuo inf. I. π. et C. de sepulc. viol.

I4. §. 6 π. de relig. I. 43. ibid. tit. 11) I. r. §. vlt. π. ad leg. Falcid.

non dabantur, nisi ex aequo et bono sumtus essent facti, secundum dignitatem defuncti, causam seu modum facultatum, tempus et bonam fidem, omni eius, quod immodice esset consumptum, repetendi facultate ademita.¹²⁾ Res enim, an egredetur iustum sumtus rationem, dictis momentis metiendam, diligenter videntur videbatur priscis Romanorum Prudentibus. Nec aliud placuisse videmus Diuo Hadriano. Ex quo, cum quaesitum esset, an inter funeris sumtus quis reciperet id, quod monumenti causa fuisset impensum, rescriptsit, illud quidem, quod causa muniendi loci reliquiis condendis destinati, esset erogatum, inter sumtus funeris censerit, illius contra nihil, cum amplum quid fuisset aedificatum.¹³⁾ Id igitur, quantum funus alienum curanti, eius rei causa repetere licuerit, iam ex ICtorum Romanorum sententia definitum est. Videndum nunc, an omnes, qui sepulturae alienae curam gesserunt, id, quod impensum est, recipient. Quam quaestionem tractasse video Vlpianum, qui ita loquitur:¹⁴⁾ sed interdum *is*, qui *sumtum in funus fecit*, *sumtum non recipit*, si pietatis gratia fecit, non *hoc animo*, quasi *recepturus sumtum*, *quem fecit*, et ita *Imperator noster rescriptsit*. Igitur a estimandum erit arbitrio et perpendendum, quo animo sumtus factus sit, *vtrum negotium quis vel defuncti vel heredis gerit vel ipsius humanitatis, an vero misericordiae vel pietati tribuens vel affectioni*. Quod fragmentum, si sententiam spectes, nullis indiget interpretationis luminibus, si verba, quae sibimet ipsis repugnare videntur, aliqua

¹²⁾ l. 14. §. 6. π. de relig.

¹³⁾ l. 14. §. 7. π. tit. eod.

¹⁴⁾ l. 37. §. 1. π. de religiosis.

adnotatione carere non potest. Haec enim, quo pacto intelligi queant, dici non potest. Etenim, qui humanitatis i. e. pietatis, communis sensus, quo humani nihil a nobis alienum putamus, negotium gessit, nihil repetit arg. I. 14. §. 8. D. de relig. Paria vero sunt, ipso BYNKERSHOEKIO auctore¹⁵⁾ humanitatis et misericordiae seu pietatis ergo impendere. Accursii autem finitione, qua ea intelligenda est humanitas, secundum quam interest, ut unus alteri seruiat, non ut donet, non utimur. Istum igitur locum, quoniam nulla plane ratione, ita, uti est, idoneam reddit sententiam, multi ICti iisque summi Desiderius HERALDV, Peter FABER, atque adeo BYNKERSHOEKIVS emendationis auxilio restituendum censuerunt. De mendo enim, vel a Digestorum concinnatoribus, vel a librariis commisso, non est, qui dubitet, ullus. Virorum autem doctorum medelas, quibus locum male sanum curare conati sunt, et quarum aliam alia peiorem et violentiorem iudicavit Bynkershoekius, idem Vir summae auctoritatis pluribus iam excussit. Quam vero ipse proposuit emendationem, eam haud scio, an immodestam, ne grauius quid dicam, iure vocaueris. Certe non eius esse videtur, qui de legibus Critics tam praeclare et grauiter disseruit, uti ante eum nemo.¹⁶⁾ Sic enim legendum suadet: utrum negotium quis vel defuncti vel haeredis gerit, an vero ipsius humanitatis vel misericordiae, vel pietati vel affectioni tribuens. Qua mutatione etsi non negauerim, quod vitium in ordine et distinctione verborum animaduertitur,

¹⁵⁾ BYNKERSHOEK Obss. lib. Obss. cui adiunge HEINECCII
4. c. 22. p. m. 289. praeft.

¹⁶⁾ v. BYNKERSH. praef. praem.

illud remoueri, eam tamen non eiusmodi esse dixeris, vt verosimile sit, talem depravationem contingere potuisse. In alia omnia descendum puto. Duabus enim litterulis immutatis, sanari potest hocce caput. Tu enim, si legas, pro *vel* ipsius humanitatis, *NEC* ipsius humanitatis, sensus inde enascitur idoneus. Quae emendandi ratio, eo probabilior mihi videtur, quo magis constat, omnem Vlpiani disputationem eo pertinere, vt, quid intersit inter eum, qui mercenariam et eum, qui gratuitam atque liberalem in aliquo funeris honore prosequendo operam praebuit, luculenter adpareat. Quam ob causam diligenter aestimandum esse ait, an quis defuncti negotium vel heredis gessit nec ipsius humanitatis, an vero misericordiae et quae seqq. Ita profecto loquuntur, qui omnem ambiguitatem evitaturi, vt de eo, quod sentiant, magis constet, verbosam rationem committere malunt, quam obscuram breuitatem. Sed CAPITOLINI in vita Marci orationem, ad quam exponendam iam deferor, nemini dubium est, non minus medicina indigere, quam illum Vlpiani locum. Ita vero habet historicus: ¹⁷⁾ *tanta autem pestilentia fuit, vt vehiculis cadauera sint exportata sarracisque. Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulcrorumque asperrimas sanxerunt, quandoquidem cauerunt, NE, VTI QVIS vellet, fabricaret sepulcrum, quod hodieque seruat*. Profecto haec verba varie sunt a variis sollicitata, castigata, emendata. BYNKERSHOEKVS, cum multorum coniecturas commemorasset, conjecturarum quarundam exemplis, speciminis

¹⁷⁾ CAPITOLINVS in vita m. 61. ed. Bipont. Marci Antonini Philosophi c. 13. p.

loco, allatis, dubius ipse nihil certi constituit. Nec placet GODOFREDI ratio, emendantis, ne *vbi* quis vellet, et existimantis ambitioni et inani circa moles et extreunctiones sepulchrorum sumtui esse occursum. Sepulcrorum enim amplitudo vel magnificentia, quid facit ad aeris pestilentiam, qua tum laborabant Romani, contrahendam? Evidem, omnibus rite expensis, cum videarem, ex innumeris aliorum conjecturis, contextui magis accommodatam nullam esse ea, cuius auctorem habeo SCHILTERVM, quem secuti sunt NORDKERK et BACH,¹⁸⁾ non erubui, reicta, quam olim proposueram, sententia, illi suffragari. Legendum enim videtur, ne *vbi* quis vellet, fabricaret sepulcrum. Grassante enim in loco aliquo frequentissimo peste, cum defunctorum sepultura legum praecepsis vel nullis vel exoletis regitur, estne verosimillimum, hominum arbitrio legis auctoritatem superuenisse, qua regiones et loci definirentur, in quos, salua aeris puritate, cadavera inferri possent. Antonini igitur tempore, cum hac contagii vehementia valde vexarentur Romani, magis est, ut credamus, legibus fuisse cautum, ne cadaverum in putredinem iam dissolutorum mortiferae exhalationes viuis nocerent, ut nemo inferret in urbem corpus exanimatum, nec sepulcra aedibus habitationi destinatis proprius admoueret.

Nunc tria supersunt ex Digestis loca, plana illa quidem et dilucida, quorum auctores, Vlpianus, Marcius et Scaevola uno ore consentiunt in antiquo iure, quo Romani *vsi*, stabilendo et retinen-

¹⁸⁾ SCHILTER Pr. iur. Rom. Ex- c. 5. 5. BACH hist. iur. p. 455. ercit. 21. §. 34. NORDKERK Obss. *mea diss. h. arg. prior.* p. 14.

do.¹⁹⁾ Iste enim, non autem, ait, oportet, ornamenta cum corporibus condī, nec quid aliud huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt: ille haec habet: ineptas voluntates circa sepulturam, velluti vestes aut si qua alia superuacua, vt in funis impendantur, non valere, Papinianus libro III respons. scribit: huius autem verba haec sunt: mulier decedens ornamenta legauerat ita: seiae amicae mea vniuersa ornamenta dari volo: eodem testamento scripserat, funerari me arbitrio viri mei volo et inferri mili, quaecunque sepulturae meae causa feram ex ornamentis; sed neque heredes neque maritus, cum humi corpus daret, ea ornamenta, quae corpori iussus erat adiici, dederunt: quaesitum est, vtrum ad eam, cui ornamenta vniuersa reliquerat, pertineant, an ad heredes? respondit, non ad heredes sed ad legatariam pertinere. Quibus legibus, quod addam, non habeo, et, si haberem, non aderem, verens, ne soli lumen accendere viderer. De hominum quorundam apud Romanos simplicitate, qua adducti aere suo adeo abutebantur, vt pretiosissima quaeque, animo vel inuido vel superstitione secum abscondi vel concremari cuperent, iam antea paucis disserui. Exemplis autem non opus. Fuerunt enim, qui eorum magnum congererent cumulum, quique adeo eundem morem vel rectius errorem, sede sua relicta, in Germaniam immigrasse, et maxime patrum memoria multorum animis insedisse, ostenderent. Sed hodie, licet sint, qui suorum cadauera a se non dimittant, nisi bene ornata et culta, neminem tamen facile inuentum iri puto, qui aurum loculis inferendo, genium suum defraudet.

¹⁹⁾ l. 113. π. de leg. 1. l. vlt. π. de au- ro, argento l. 14 §. 5. π. de rel. et sumt.

Veniendum vero est ad ea tempora, vbi religio Christiana, quam Imperatores profiteri coeperant, nouas in multis rebus leges novae instituta desiderare videbatur. Deorum enim templis euer-sis, cultuque religionis gentilitiae abolito, paganorum odio excitato-ne mireris, veteris superstitionis multa exempla exoleuisse. Quae res, quam vim habuerit in sumtuum funebrium modum et ratio-nem, iam persequamur. Ac primis quidem rei Christianae tem-poribus, cum homines, qui Christum sequebantur, omnibus for-tunae telis viuerent oppositi, historia loquitur, sicut in multis aliis rebus ita maxime in exequiarum honoribus summam viguisse sim-plicitatem. Illi enim, quos hic Imperatores gladio ac ferro, illic paganorum infesta agmina insidiis et odio adgrediebantur, qui potuissent ea moliri, quibus inuidia et odium inimicorum magis excitaretur et augeretur? Istos sane, qui maiorem quam ceteri sapientiam prae se ferebant, nouum et peregrinum deum colebant, illicitos et vetitos coetus et conuenticula agebant, ne impune laturos fuisse putes, si ceteris criminibus et calumniis, quarum accusabantur, addidissent superbiam, magnificentiam, pompam et luxum. Pro-fecto, Christianorum continentiam et modestiam, sin vel historia, veritatis lux non loqueretur, in dubium vocare res ipsa non patitur. Nomen enim Christiani, licet flagitorum expers, puniebatur. Christianum enim esse, crimen erat, si nihil praeterea aduersus leges publicas vel rectos mores fuisse commisum. Sed modestiae Christianis primis propriae multa in rerum antiquarum memoria exempla sunt prodita, quae intueri debent tamquam in excenso loco posita ii, qui apud nos eandem fidem profitentur. Illi enim, licet sepulturae magnam semper habuerunt curam et rationem,

quoniam corporum resurrectionem veram putabant, in ea tamen peragenda omni vanitatis et ambitionis reprehensione carebant. Nullis monumentorum splendidorum sumtuosis honoribus delectabantur: nulla fuit cupiditas sepulturae intra urbium moenia vel in aedibus rei sacrae peragenda destinatis. Condebant suorum reliquias in locis subterraheis seu catacumbis vel ad vias publicas secundum priscum morem.²⁰⁾ Humationis licet fuerit tanta religio, ut omnem cadauerum concremationem detestarentur, quasi Christianae disciplinae aduersam, id tamen non eo valuit, ut singulis singula semper extruerentur sepulcra.²¹⁾ Modestiae enim erant studiosi, ad quam nulla eiusmodi adhortatione indigebant, qualem Basilii in diuines habemus, qui τι μηματος, inquit, ἐπισημειε ναι ταφης πολυτελεσ ναι δακωνις ἀκρεδες οφεος? παλον ἐναφιον η ἐντεβεια. Terrae corpus reddituri nullis lectulorum ornamentis vel coronarum fulgore opus habebant, contenti solis condimentis, quibus vinctum cadauer, diuinæ mentis olim sedes, diutius servaretur.²²⁾ Ad funus non de nocte sed interdiu ibatur, cum nullus esset superstitionis metus.²³⁾ Cadauerum ad

²⁰⁾ BINGHAM Origines s. antiquitates ecclesiasticae Voll. XI. ex angl. lat. redditu per I. H. Grischov: ed. 2. Hal. 1750. Vol. X. p. 9. 10. sqq.

²¹⁾ PRUDENTIVS Peristephanon. Passio Hyppolyti.

²²⁾ PRUDENTIVS Cathemerinon. Hymnus in exequiis mortuorum.

— hinc maxima cura sepulcris Impenditur, hinc resolutos honor vltimus occupat artus et funeris ambitus ornat. Candore nitentia claro praetendere linteas mos est, aspersaque myrrha Sabaeo corpus medicamine seruat.
²³⁾ vid. l. 5. C. Theodos. de sepulc. viol. ibique GODOFREDVS. Adde DEYLING in Instit. prud.

sedem perpetuam efferendorum causa nullis vtebantur nec curribus nec equis atro panno stragulisque obtectis sed cognatorum vel eorum humeris, qui propter haec officia ab ecclesiis maioribus communi stipite alebantur: (hi sunt *κοπιαταί*, decani, qui munere vespilonum et libitinariorum fungebantur.²⁴⁾ Nullus dabatur locus praeficis seu mulieribus ad luctum conductis. Luctu decenti et lamentatione moderata vtebantur, ne inuidere viderentur felicitati diuinae animae, quam, laboribus finitis, ad Deum redisse, pie credebant. Christiani quidem a gentilibus quaedam accepta retinuerunt, quae haud scio an ipsis criminis sint vertenda et vitio. Sic Psalmodiorum in exequiis pius cantus,²⁵⁾ unde ortus videtur, nisi ex naeniarum carminibus? Christianis quidem, cum canerent, maius quid et dignius fuit propositum, quam ceteris. Summi enim numinis laudes cantabant, beneficiorum collatorum sensu permoti, quod, qui iam discesserant, tanquam ex hospitio in aeternam beatorum sedem essent translati. Praeclarum certe diem censebant, cum ad illud diuinum animorum concilium coetumque iter esset suscipiendum et discessus ex hac turba colluuiisque instaret. Christianos porro, quod defunctorum memoriam orationibus et laudationibus persecuti sunt, recte dixeris, veteres laudationum mores reuocasse. Tum coronarum in funeribus vsus in eundem ordinem venit, ne quid dicam

pastor. p. m. 722. qui quaedam secundum Binghamium l. l. ad eandem constitutionem adnotauit.

nou. 43. l. 4 et 9 C. Iustin. de ss. eccl. ALCIATVS Parerg. lib. I. c. 50.

²⁴⁾ ΚΟΠΙΑΤΑΙ sunt ἀ τὰ σωμάτα περιστέλλοντες τῷν κοιμακέναιν. Vid-

25) V. HOMMEL in litt. p. m. 93 cuius locum exemplis quibusdam in contextu auxi.

de lampadum et funalium ritu, de statis diebus defunctorum memoriae repetendae causa redeunte quo quis anno haberi solitus, quibus nihil similius antiquis Romanorum solennibus feralibus. Omnis denique sepultura fuit gratuita, ne vlo quidem ex Clericis mercedem poscente. Nostrorum enim temporum mos, ab eorum humanitate profectus, qui, quod in honeste petebatur, sponte offerebant, antiquae ecclesiae prorsus displicuit. Istos de gratuita sepultura canones, saepius repetitos, saepius contemtos, sacerdotum auaritia conuulsos atque elusos, non commemorare placet satis superque notos, et rem alia iam narratam non attinet repetere, maxime cum ea res in Clericis ²⁶⁾ nostrae aetatis non sit moleste ferenda. Eiusmodi fuit veteris ecclesiae disciplina in funerum honoribus, multis exemplis probata et testimoniis plurimorum innixa. Sed ipsi primae ecclesiae sacerdotes et patres eos mores confirmare et conseruare studebant. CHRYSOSTOMVM, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio, contra inanes funeris sumtus orationem habuisse, non ignorant, qui sacras litteras profitentur, licet eius orationis in aduersariis tantum notatae, diu frustra quaesitae, inspicienda facultas mihi nondum contigit. Sed vno ore SENECA, nostrae religionis sacris non imbutus, atque AVGSTINVS, acerrimus ille Christianae fidei defensor consentiunt in contempnenda funerum magnificentia. Ille enim, *quid opus est*, inquit, *saeculis duratura componere? vis tu id agere, ne posteri te taceant?*

²⁶⁾ V. THOMASSINV S de vetera et noua disciplina p. III. lib. I lib. 2 tit. 8. §. 2 BRVIKNER diss. supra excitata §. 20 sqq. DVAREC. 72 BOEHMER ad SCHILTER NVS de ministeriis p. m. 369.

morti es natus, minus molestiarum habet funus tacitum. Hic autem, curatio funerum, ait,²⁷⁾ conditio sepulturae, pompa exequiarum magis sunt viuorum solatia, quam subsidia mortuorum. Multa non opus esset exemplorum cumulatione, ni priscae disciplinae memoria tantam afferret iucunditatem, vt vel inuiti raperemur ad eam repetendam. LACTANTIVS sic: quis vsus est pretiosorum munerum nihil sentientibus? an ille, qui mortuis? pari enim ratione defunctorum corpora odoribus et pretiosis vestibus illita et convoluta humi condunt, qua deos honorant.²⁸⁾ Nec vero minus digna consideratione res est, CONSTANTINVM, ANASTASIVM, IVSTINIANVM et LEONEM Imperatores editis constitutionibus, rei funerariae modum quendam posuisse et terminum in regia vrbe. Quorum quidem de exequiis instituta, quo maiorem habent praestantiam, ita magis mirari licet, eos, qui in vtroque Codice interpretando praeclare sunt versati, vt solos, Godofredum, Ritterum et Pereziūm nominem, hac de re nihil commentarii suis adscriptisse. Iustinianus vero, si quid vñquam recte, ad reipublicae vtilitatem et sapienter constituit, quod funeris rationem, ne vlli grauis et difficilis fieret, diligenter definiuit in vrbe amplissima puto Constantinopolitana, id optime et prudentissime fecisse censendus est. Quae res vt satis cognoscatur, haec Imperatoris instituta commemoratis simul Constantini, Theodosii Anastasiique sanctionibus, iam enarrabo. Facturum autem me operae pretium,

²⁷⁾ SENECA de tranquill. Av- hymno in exeq. cantando, qui est
GVSTINV S de ciuitate Dei.

inter sacra eius, quae extant carmine

²⁸⁾ LACTANT. lib. 2. Inst. diuin.

na pp. m. 95 ed. Basil. d. a. 1562.

c. 2. adde PRVIDENTIVM in

non dubito, quia haec ipsa res nec a BALDVINO, qui res a Constantino gestas, praeclare exposuit, nec a GvDELINO, nec a SCHILTERO dilucide et, vt par, copiose est tractata.²⁹⁾ Constantinus Magnus, quum aduertisset, aucta re Christiana et amplificata, hominum Christianorum in funeribus celebrandis mores a pristina modestiae via paulum deflexisse, quoniam plurimi essent in vrbe sumtuum funebrium oneri impares: sui fisci dispendio instituit, vt Constantinopoli essent nongentae quinquaginta officinae (s. ergasteria) ab omnibus vectigalibus liberae et immunes, quas sanctissima maior ecclesia in fructu haberet, vt inde rem funerariam in vrbe curaret atque aleret *notias*, s. decanos,³⁰⁾ quorum munus et officium esset, mortuorum corpora obuoluere, efferre atque sepelire. Quod institutum eo pertinuit, vt sepulturae essent gratuitae, nulloque cognatos vel alias, quibus funerandi officium incumbit, sumtu grauarent. Lectorii enim, publicis sumtibus ab ecclesia

²⁹⁾ v. BALDVINI Constant. M. s. commentariorum de Constantini Iegg. eccles. et civil. p. m. 14. 15. 16. GvDELIN de iure nouissimo commentariorum libri sex p. m. 380. SCHILTER praxis iur. Ron. exerc. 31. §. 37. p. m. 221. qui in re narranda a vero passim aberrauit, ignorans, quinam decani, quae officinae fuerint.

³⁰⁾ OFFICINAE fuerunt tabernae mercionii deputatae, quarum aliae ad priuatos, aliae ad rem publicam spectabant i. e. vel principis

et fisci vel ciuitatum et vniuersitatum, ex quarum locatione pensiones s. redditus in publica opera erogabantur. Hic loquimur de publicis l. 5. C. Theod. de metatis. De Decanis v. s. Isti erant variis generis, alii erant Palatini, qui circa principem versabantur variis vilioribus officiis destinati, alii *notias* ni fallor, a *notarie*, quiescere, cessare ita dicti, quod cadaveribus in aeternam quietis domum inferendis operam dabant: v. C. Theod. tit. de decan. l. 15. ibid. de lustral. coll. T. v. p. 1.

nutriti, supellectilem funeri necessariam, gratis porrigeabant, corpus obuolutum efferebant et humabant. Quod sepulturae gratuitae beneficium a Constantino pauperibus solum tributum fuisse, vero proprius videtur.³¹⁾ Istud deinde institutum a Theodosio et Honorio Imp. confirmatum legimus.³²⁾ Quam rem, cum hominum, imprimis Cleri auaritia corrumperetur, ecclesiae sepulturas in quaestu habentibus, in ordinem priscum reduxit Anastasius, additis centum et quinquaginta officinis atque assignato praeterea Magnae Ecclesiae Constantinopoleos septuaginta librarum auri reditu. Tandem Iustinianus, cum vidisset, rem funerariam omnem, cum pauperum, tum locupletiorum¹, certis finibus esse regundam, et terminos esse constituendos, quos transilire vel confundere non liceret, binis eam rem perfecit legibus, super exequis latis, et iis, quae gratis, et, quae per munificentiam fierent. Quae leges, quas habuerint causas, Imperator, ut solet, diligenter commemorat. Neglectis enim anterioribus legibus non sine mercede fiebant defunctorum exequiae, sed exigebantur amare et inueniebantur nomina, quae etiam inuitos exigerent lugentes et cogerent dare non habentes.³³⁾ Cui malo non obex solum obiciendus sed cauendum etiam videbatur, ne duplicum ii, qui in luctu sunt, sustinent difficultatem, simul quidem, ut, quae sua erant, amitterent, simul, ut pro se damnificantur.³⁴⁾ Iam primum quidem, nouella 43 sanctum est, ut mille et centum officinae, ex quibus ab ecclesia

³¹⁾ v. nouell. Leonis 12.

³⁴⁾ v. nouella 43 et 59. Const. 18.

³²⁾ 1. 4. C. Iust. de SS. Eccl.

C. de SS. eccles.

³³⁾ v. nouella 59. pr.

maiori eaque sola alerentur lecticarii, ab omni onere, tributo et vectigali immunes permanerent. Deinde definitum, ut ex officinarum ceterorumque reddituum fructu omnes in vrbe augusta exequiae *gratis* praestarentur per decanos, nec liceret ecclesiis quidquam ab vlo inuito pro mortuis elatis accipere. Quo facto nihil mercedis poterat efflagitari exequiarum nomine, omni personarum, siue diuites fuerint siue pauperes, discrimine sublato. Quibus ita constitutis, etsi sepulturae cura magis publica quam priuata fuerit, id tamen non eo pertinuit, tamquam omnis iustae magnificientiae aditus foret paeclusus. Cognati enim vel heredes non prohibiti sunt maius aliquid munificentiae vel magnificentiae causa in suorum honores vltimos insumere, ita tamen, ut vel isti, nimum quid, quod profusionem proderet vel gloriolae auctupium, committere non possent. Praescriptus enim est lege illa modus, maiori funeris impensa non permissa.³⁵⁾ Qua re nihil profecto ad prudentiam perfectius, ad vtilitatem vberius excogitari potuit. Luxuria enim fonte praestructo, et pauperum curis leuatis, medios fieri volentes sepulturas, hoc frui poterant legis beneficio. Piam ac laudabilem hanc constitutionem et posteris imitandam, donec Christianorum nomen in hominibus, in vsu esse voluit Imperator optimus.³⁶⁾ Sed frustra. Spe cecidit Iustinianus. His enim temporibus, vbi multi animum adpulerunt ad emendandam rem funeralium, quotus eorum est, qui romanae legis sententiam fando acceptam teneat? At hac nostra aetate non caremus priuatis

³⁵⁾ nou. 59. c. 2. 3. 4.

ex nouella Leonis 12.

³⁶⁾ Huius instituti fata cognosces

institutis ad molestiam oneris sepulturarum leuandam comparatis:
— sed non adeo omnium rerum sum imperitus, vt non intellexe-
rim, quam male audiant plurima huiusce generis instituta et quam
raro hoc pacto iis consulatur, quibus consultum esse debuit i. e.
egentibus.

CAPUT V. AD CONSULTA ROMANA

*Delibantur pauca ex iure Pontificio et attinguntur
Germaniae instituta.*

Semperne peregrinos intueamur mores, externa admirremur
exempla, patriam numquam reuisuri, optimis Principibus foecun-
dam, exemplis egregiis vberimam, bonis moribus ditissimam?
Absit a nobis eiusmodi facinus, quod animum proderet alienum a
ciuum, ciuitatisque vbi nati, educati, plurimarumque rerum opti-
marum fructu ornati et aucti sumus, amore. Redeamus ad no-
stros eamque ciuitatem, qua nulla alia ciuitas sanctior patriisque
moris tenacior et recti verique suscipiendi studiosior fuit et ad quam,
vt cum Linio loquar, tam serae luxuria et profusio, sed numquam
libido pereundi perdendique omnia immigravit et quae, ad mag-
num felicitatis gradum elata, tantum abest, vt lapsa sit praeceps-
que ire cooperit, vt quoquis fere anno alienis periculis sapere discat
et in eius, quod salubre est ac frugiferum, cognitione proficiat.
Quod qui neget, in tanto vtilissimorum institutorum prouentu,
quis est? Res enim nostrae, aut me amor patriae fallit, aut seculo
fere quoquis appropinquante, ad sublimiorem perfectionis locum at-
tolluntur. Illorum enim maxime senum obscura sapientia, qua res

humanas, oculis nube veluti obtectis, intuentes, fere in deterius
labi affirmant, non vtor. Nec ferre possum illud poetae:

— — *Omnia fatis, canentis*

In peius ruere, et retro sublapsa referri.

Nec aetatis meae vitia deplorari, lubens audio, id, quod **HESIODVM** olim fecisse legi ita canentem:

Μῆκετ' ἐπειτ' ὁ φελον ἐγώ πεμπτοῖσι μετεναψ

Αὐδραστιν αἷλ' ή προσθε θαρεν ή ἐπειτα γενεσθαψ.

Apud Germanos enim, maiores nostros, nullum legis ad infringendam funerum luxuriam latae exemplum occurrit. Quo nec opus in tanta eorum simplicitate splendorisque inanis odio. Neque enim opinor est, quin **TACITVM** de moribus Germanorum ita dicentem meminerit: *funerum nulla ambitio: id solum obseruatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremenatur, struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equis adiicuntur. Sepulchrum cespes erigit: monumentorum ardium et operosum honorem ut grauem defunctis aspernantur. Lamenta ac lacrymas cito, dolorem et tristitiam tarde deponunt, feminis lugere honestum, viris meminisse.* Galli me non morantur, quos **IVLIVS** ³⁷⁾ funeribus magnificis et sumtuosis vsos esse memoriae prodidit, omniaque, quae viuis cordi fuisse arbitrarentur, in ignem intulisse, etiam animalia.

Morum certo simplicitatem in funerando non prius apud Germanos in vsu esse desiisse credo, quam cum, delecto deo-

³⁷⁾ **IVL. CAESAR** de B. G. lib. 6. c. 19.

rum cultū, religio Christiana in has regiones penetrasset.³⁸⁾ Sed, illatis his sacris, cum Clericorum in animos imperium affectantium studia, quoniam ad quaestum omnia referebant, non id sequerentur, vt gentium, vitiorum maculis contaminatarum mores emendarentur, et mentium crassa ignorantia, luce veluti in obscuro loco incensa dissiparetur, sed magis, vt ipsorum commentis fides haberetur et decimae offerrentur, evenit, vt, ex quo maiorum, quibus vexabantur maiores, remedium atque leuatio sperari potuisset, ex eo mala omnia promanarint. Ab eo enim tempore cadauera in vrbes et atria templorum imo in ipsa adeo templo inferri coeperunt. Iam in humando Clericorum officia pretio oblato, expeti et praestari, funeralia incensa preeferri, multa lamentatio haberi, odaria et cantiones ad naeniarum modum frequenter decantari, orationes funebres fieri, monumenta extrui, aurum cognatis liberisque debitum ecclesiis per suprema iudicia dari, missae ad beandas animas haberi, terra sacra ad cadauer excipiendum aere oblato vendi et vt vno comprehendam verbo, omnia superbe et sumtuose fieri. Nemo mihi obuerat C. 14. caus. 13. quæst. 2. cap. 9. X de simon. c. 42. eod. c. 32. X. de sepult. aliasque decretalium particulas, quibus pecuniarum exactio pro exequiis, et pro terra praestita prohibetur: nemo enim nescit, quam habuerint illi canones vim et quam late nihilo magis patuerit clericorum libido, sanctis nominibus aliorum opes rapiendi, populi oculos, superstitionis nube obiecta, fascinandi atque religionis nomine ecclesias dotandi. Vberius, quod rem narrem, nec instituti ratio, nec

³⁸⁾ HACHENBERG in Germania media diss. 12 §. 7. sqq.

temporis, quo inclusus sum, inopia patitur. Fuerunt etiam, praesidiis ad hanc rem necessariis instructissimi, qui has calamitates, quibus oppressi maiores nostri lugebant, diligenter exponerent.³⁹⁾ Quae igitur, cum in vulgus sunt nota, non repetam. Denique scio, et lege imperii ad politiam constituendam anno 1577 auspiciis Rudolphi II lata, modestiam in funeribus praceptam omnemque luxuriam fuisse vetitam: ea tamen, cum nihil noui constituat sed eam rem, Ordinibus Imperii, in suis quibusque prouinciis ordinandam relinquat, non committam, vt vel non necessaria repetitione, vel longiori hac de re oratione, lectorem obtundam.

CAPUT VI.

Suntuum funebrium profusio legibus in Saxonia Electorali compressa.

Sequar igitur, vt institui, in hoc religionis loco, nostras leges patrias, quas, admiratione quadam commotus, habeo, qnod laudem, non quidem propterea, quod istis plus delecter, quam peregrinis, vt facere solent, qui nescio quo pacto locis ipsis vel solo, in quo orti sunt et procreati, magis mouentur, sed, quod earum est tanta praestantia, quanta his moribus, hac temporum rerumque ratione esse potest. Quae vero leges, quas legislato-

³⁹⁾ v. Gottl. Aug. LENICHEN historische und rechtl. Abh. von den Begräbnismahlzeiten u. auf solche verwendete Unkosten L. 1747, 4. Sepulturae Sueogothicae pars prior et posterior de exequis Christianorum auctore PHYZELIO Vpsal. 1709. 8.

res Saxones dixere, huc pertinent, eae versantur partim in consti-
tuendis funerum sollemnitatibus et sumtibus partim in luctu ad
iustum modum et tempus faciendo.⁴⁰⁾ Ita vero leges nostrae popu-
lares. Piorum cadauera publice sepeliunto in coemeteriis a maio-
ribus exstructis. Priuata sepulcra ne habento. In requietoriis
omne fortunae discrimen tollunto. Sed coniugum corpora ne
seiunguntor. Nisi malos, supremo piorum honore neminem pri-
uanto. In funerando pietas adhibetor, opes amouentor. Sum-
tum et luctum minuunto. Egestate depresso gratis, sed honeste
sepeliuntor. In ceteris pios ritus et ceremonias ab ausi traditas
vsurpanto, cantum, Christianorum comitatum, orationem, modico
sumtu in eam rem expenso. In nobilium funeribus candelas octo,
in ceterorum sex accendere nemo prohibetor. In templo nemini
nferunto nisi Patronum et ex ceteris, qui vitae honestate
insignes, idque Iudicii, quod in rebus religiosis ius reddit, auctorita-
tate numoque soluto. Post funera, epulas sepulcrales dare, excep-
tis nobilium exequis, ius ne esto. Piorum funera campanarum
sono indicantor. Patrono vero, eoque qui iudicio praefuit, defuncto,
per 14 dies campanae audiuntor. Sellas nec sacras nec profanas

⁴⁰⁾ *Ordinat. Polit. d. a. 1661.* etc. d. a. 1750. C. C. A. T. I. p.
Tit. 18. Mandat wegen Einschrän-
kung der übermässigen Trauer, d.
a. 1750 §. 10. im C. C. A. T. I. p.
756. Mandat eiusdem arg. d. a. 1739
in C. C. A. T. I p. 637. v. Corpus
Iuris Ecclesiastici Saxonici p. 645.
Verordnung welche den Gebrauch
der schwarz überzogenen Wagen
etc. d. a. 1750. C. C. A. T. I. p.
758. Generalartikkel §. 15. in Cor-
pore I. Eccles. S. p. 51. Kirchenagenda
I. I. p. 129. SCHMIEDER Poli-
zeyuerfassung des Churfürsten-
thums Sachsen I. Th. SCHAUM-
BVRG Einleitung in das Sächs. R.
p. m. 390. KVESTNER ad Dey-
ling I. I. p. 162. sqq.

nigro panno injecto velare, nemini conceditor. Familis defunctorum nihil vestimenti lugubris danto. Cognati, si velint, suo sumtu vestes comparanto. Luctus, propter quem vestes lugubres, currus et conclaui nigro panno vestita, adhibentur, suis finibus, quos excedere nefas, cohibetur. Lugendi potestas, cognatis, qui ascendunt vel descendunt vel sunt proxime a latere iuncti, coniugibus, heredibus et legatariis, suo cuicunque modo data esto. Ea vero in re dignitatis, propinquitatis, temporis rationem habento. Qui secus facit, mulcta aut carcere maiori minoriue punitor. Hae sunt summae et sententiae legum, ad funera modeste paranda comparatarum. Ipsam earum contextum describere nolui, nam esset infinitum. Sed istas, sponte adparet, ad illam *Vlpiani* in lege 40. *π.* de damn. inf. sententiam esse comparatas. Ictus ita habet: honestus modus est seruandus, non immoderata cuiusque luxuria subsequenda. Sepultra priuata lex vetat, propterea videlicet, ne quid detrimenti ex hominum imprudentia vel inscitia vel superbia in rem publicam redundet. Canonicorum enim praeceptis, quibus persuasum est, locum ab episcopo pio ritu benedictum et sanctissimorum hominum ibi sepulchorum recordatione venerabilem, aptiorum esse cadaueribus fidelium recipiendis, etsi non accedamus, certum tamen est, hoc communium sepulchorum instituto, rei funerariae ad legum praecepta regendae, sanitati hominum conservandae et pii sensibus in eorum animis excitandis et alendis multum adferri praesidii. De fortunae discrimine in humandis cadaueribus, locisque assignandis sublato vix est, quod dicam. Vetus etiam est, innumerisque repetita canonibus sanctio, ne terra sancta videatur venalis. Egenis deinde, qui non reliquerunt, vnde sepe-

liantur, humanitatis officium gratis est praestandum atque, si quid necessario erogandum fuerit, ex aerario publicarum eleemosynarum praebendum. Quod autem inferri in aedem quorundam corpora lex patitur, alios ab omni sepultura arcet, lugendi denique modum ex conditione defunctorum et dignitate ponderandum statuit, id non est, quod iam reprehendas. Nam, quid est magis a civili prudentia alienum, quam leges sciscere, temporibus, moribus et seculi ingenio omnino aduersas? Legibus enim ferris solitis *επι το πλειστον και τοις πλειστοις*, istarum abrogatio nondum expetenda sed expectanda videtur. Quae sequuntur, omnia ad sumtum remouendum vel minuendum pertinent, quae, quo salubrius sunt praecepta, eo magis est optandum, vt, qui se esse et haberi volunt legum custodes ac tutores, earum auctoritati et vigori seruando maximo studio inuigilent eaque in re suum officium desiderari non patientur. Pessime enim plerumque cum institutis politiae agitur, quoniam, quae vtp plurimum valet ad auctoritatem iis conciliandam, magistratum cura et custodia, haud raro vel omnino nulla vel exigua sit ac leuis. Quae incuria, non fieri potest, quin reipublicae sit noxia atque damnosa. Maximam enim ad rempublicam augendam vim habent eiusmodi leges, quibus mores hominum idonea disciplina finguntur et ad parsimoniam, frugalitatem omnemque vitae cultum adducuntur. Ceterae enim leges, quae magis ad ciuium personas bonaque pertinent, quantumuis sapienter scriptas, quis nescit, nullam in hominum animis a criminibus reuocandis et ad iustitiam colendam assuefaciendis virtutem habere, nisi, quas dixi, virtutes fuerint excitatae. Luxuriam vero et immodestiam cum libidine dissipandi omnia, ni aditu prohiberentur,

certum est, multarum sordium, vitiorum atque adeo criminum
foecundas matres saepius extitisse.

Iam proximum esset, vt leges Romanas cum patriis scitis
diligenter comparando et vtriusque iuris pracepta ad regulas certas
exigendo, vberius disputaremus de vtriusque legislationis ratione
et pretio. Sed, cum iam non difficile sit, hac de re iudicare,
nemo sane rei funebris non plane imperitus erit, quin nostram
ciuitatem bene constitutam esse, per se intellexerit. Neque vero
ignoro, neque dissimulo, multa praeterea notari posse, quae haud
recte consistere dixeris, quaeque emendatione egeant vel saltim
reuvocatione ad sua initia. Patrum enim Nicaenorum auctoritatem,
cum iudicabant: *τα δεκα εθη κρατειτων*, vt religiose tueamur,
si vlla vnuquam in re, certo in eo, quem loquimur, loco, valde
est optandum. Deinde, quod in nostrarum legum ordine
nihil inest de monumentis, id recte se habet. Nostra enim
aetas, licet non aliena a sensu pulcri in operibus artis ex-
pressi, parum tribuit columnis et marmoribus, memoriamque
eorum, qui recte vixerant et ciues suos rebus praeclare geren-
dis, litteras ingenio et natura sua optima multum ornauerant,
in animis posteritatis, haud scio, an recte, conseruari mauult,
quam in monumentis breui perituris. Qui nostrorum hominum
mos omnino laudandus foret, ni illud ea cum re incommodi esset
coniunctum, quod plurimi ex popularibus maxime, qui sunt infe-
riorum ordinum, ob eam causam omni opportunitate artis opera
inspiciendi et pulcri sensum, cuius vtilitas in omnem vitam latissi-
me patet, excitandi et alendi, carere debent. Illa enim frequenti
pulcrorum monumentorum intuitione, non obscurum est, nihil esse

fructuosius ad praeclaras opiniones in animis recipiendas, nihil utrius ad generosam indolem et naturam efficiendam. Mouemur enim monumentorum maxime eorum, quae memoriae rei vel hominis excellentis conseruandae causa pulcre et exquisite sunt exstructa adspectu atque hac quotidiana summorum virorum recordatione excitamus, ut vel ipsi in rebus gerendis et in vita cum priuata et domestica tum publica pulcrum et humanum spectemus et laudem quandam gloriamque recte et utiliter factorum consequamur. Tum, quod quis dixerit, hoc nostro tempore, illis legibus, sapienter licet lati, non refragantibus, iusto nimium funeribus faciendis impendendum esse, quoniam plurimi sint, qui ex hac aliorum calamitate lucrum quoddam et compendium quaerere debeant, illi eminio assentendum puto. Nimia enim, qua nostri populares in eligendo exequiarum genere et modo utuntur, libertas id efficit, ut, qui non ad summam inopiam sunt redacti, quo sollemnissus funus efferant, aes alienum cum suo maximo incommodo contrahere cogantur. Iam enim cognati, cum vix animam efflavit defunctus, vocant pollinctrices, eosque, qui ad funera inuitent, quique cadauer gestent vel vehant, tum ornatur mortuus, cantatur, ad funus itur, vestes lugubres coemuntur, oratio funebris habetur, locus emitur et quae sunt reliqua, quae maxime apud eos, qui ruri viuunt, in tanta sunt religione, ut parcus funerum parator pro impio habeatur. Ibi enim, in pagis puto, quis nescit, rem eo deuenisse, ut vel infantes recens nati magnifice, habitis in suggestu sacro concionibus, sepeliantur? Quae res, facile intelligitur, quantum damni afferat eorum rebus, qui victum diurnis laboribus quaerere coguntur. Tum enim ad foeneratores configiunt, pignora dantur, aes alie-

nium conflatur, ex quo plerumque non nisi morte aut bonorum cessione exitur.

Porro in ea re nihil sane est, quod magis attendi mereatur, quam, quod Clericis, dum propter certorum reddituum exiguum quantitatem, stolae iuribus, i. e. pecuniae pro deductione funerum, parentatione et concione funebri defendendis et retinendis acriter inuigilare coguntur, illud molestissimum accidat, vt eorum auctoritas et veneratio imminuat animique rerum ad vitam necessariarum cura et a sacra re diligenter gerenda auocentur et deprivantur. Quae pecuniarum eiusmodi exactio, quantis laicorum offensionibus, quantis Clericorum periculis saepius sit coniuncta, cum ad multas et graues interdum rixas et iurgia descendatur, non est, quod oratione multa et exemplis ostendam. Nemo rerum harumce adeo est imperitus, quin prope sciat, propter hanc sportularum causam, saepius hominum mentes opprimi perturbationibus, inuidia, similitate, sordibus avaritiae. Illi enim, cum nulla alia remouentur, facile se patiuntur vinci habendi cupidine, cui indulgentes in magna pericula amittendae rectae existimationis vocantur. Hodie igitur, vbi multorum querelae de sacerdotum auctoritate labente audiuntur, de remedii huic malo opponendis eo magis est cogitandum, quo certius est, eius rei maximam esse vim in animos hominum mouendos. Quam ad rem id, ni fallor, est institendum, vt perpaucis quaerendae pecuniae modis clerici opus habent sed, quoniam ciuitati et vniuersae reipublicae consulunt, a ciuitate eiusque aerario publico alimenta et ceteros redditus accipiunt. Tum enim sacerdotes in genere pecuniario, necessitate aut avaritia iubente, non adeo laborabunt, vt se vel a diuinae rei cura et disci-

plinarum sacrarum studiis auocari vel ad litium, iniuriarum, inimicitarum molestias suscipiendas aut ad sordes et avaritiam, in quam in re familiari multis viis quaerenda tam facile declinatur, iniuti fere et nolentes cogi patientur. Quod quidem institutum, etsi fisco quaedam de commodis suis propter id detractum iri non ignore, quemadmodum vberrimum erit et utilissimum ad Clericorum auctoritatem augendam et stabiliendam, ita etiam plurimos, qui propter rem tenet, qua vtuntur, suorum morte saepissime in summa pericula incurront, iuuabit curisque eos leuabit. Sed, si licet dicere, quod sentio et quod res est, id quod profecto in hac aetatis nostrae felicitate licet, vbi ne vllus quidem propter singulares, quas animo fouet opiniones, in fortunarum, famae aliorumque bonorum discrimen vocatur: iam auguror, tempus aliquando extiruum, vbi cause sepulcrales e censu ecclesiasticarum exemptae velti postliminio ad ciuiles magistratus redibunt et omnis de hisce rebus cognitio ad eos deferetur. Quibus ita, vt par est, factis, non dubito, fore, vt omnis sepulturae ratio, a iuris Canonici et Romani reliquis purgata, aliam quandam eamque rationi magis consentaneam consequatur formam. Fore enim spero, vt, rejecta de sacerdotum sepeliendi causa adhibendorum necessitate, opinione male suscepta, omni rei funerariae cura, ademta cognatis aliisque priuatis hominibus, et ad magistratus, qui tuentur cetera politiae instituta, translata, iurium stolae, cantationum, concionum, luctus, vestimentorum, campanarum vsus aboleatur et antiquetur. Deinde, quo ciuium sanitati, cum ei, quae ad corpus refertur, tum illi, quae potior est et animorum propria, et domesticae felicitati consulatur et prospiciatur, institutum iri diuinor, vt, prohibitis intra

urbium moenia sepulturis, coemeteria exstruantur in locis solis, arboribus circumpositis vel superstructis insignibus, hortorum speciem prae se ferentibus atque cadauera, cum certissime et indubitate de morte constat, publica cura publicisque sumtibus, tacite et absque frequentia hominum efferantur. Iustiniani igitur constitutio, supra commemorata, ut, praeter pauca capita, in integrum veluti restituatur, id maxime expetendum censeo. Nullus tum marmoribus, in memoriam beatuli alicuius diuitis extractis erit locus: nullus sepulcris hereditarnis, familiaribus, propriis vel communib; Vna omnibus, qui in rebus humanis esse desierunt, erit sepultura, ne, vbi natura, omnium aequalitatem paritatemque praecepit, ibi humana ratio discriminis aliquid et differentiae adgnoscere videatur. Vniuerso sepeliendi modo ad initia sua reuocato et ad summae simplicitatis regulas expresso omnique priuato sumtu sublato, olim nemini afflito addetur afflictio et ne vnius quidem ex iis, quibus suorum funus acerbum et fleibile fuit, dolor pecuniae causa augebitur. Sed de huiusce instituti vtilitate, necessitate et causis atque de pecunia, e cuius reditu publicae sepulturae fieri possint, vberius dicere, cum alienum videatur a libelli academicci in aede ICTis sacra defendendi angustis finibus, dicendi finem facio. Haec igitur hactenus.

Kd 661

vibium mortis repulsi, cosmetria exercetur in locis solis, arboribus circumpositis vel superstructis in cunctis, hectorum spissam prae se ferentibus atque cadsuens, hoc obsequium et indubitate de morte constat, publici cura publicisque vici sententi et absque frequentia hominum efficiuntur. Iuncta ergo comitatio, supra committenda, ut praeter paucis capta, ut integrum veluti restituatur, si maxima exspectandum censeo. Nullus tunc mormonibus, in memoriam beatuli sacerdotis dicitur extractus erit licet nullus sepulcris legendus, quia in aliis propriis et communibus. Vnde credimus, qui in eis homines esse homines, eric sepulta, ne, ubi natura, omnium aequalitatem paritatemque percepit, ibi humana ratio distinctionem aliquid et differentias subiectas videat. Hoc est enim ratione, quod non sicut res ipsa corporis et vel dei instrumenta, sed etiam res proprie, atque prius sancti subiecta, cum secundum sacerdotem sollicitum et neutrum quidem ex iis, quibus sursum fuisse acerbum et lebide fuit, dolor pecuniae causa angelitus. Sed si huiusce instituti vires, necessitate et causis atque de pecunia, e cuius redditu publice expensae non possint, oblationes et elemosinae, quae libelli voluntatis sunt, et quae ad hoc ordinatae, a pueris annibus dicendi finem faciunt. Hanc igitur rationem.

Kd 661

ULB Halle
006 372 341

3



VO18

NC





HISTORIAE
LEGVM ROMANARVM
AD
SEPVLTVRAS PERTINENTIVM
ADIVNCTA EARVM COMPARATIONE CVM PATRIIS
INSTITVTIS
SPECIMEN SECUNDVM
VBI DISPVATATVR
DE MINVENDIS FVNERVM SVMTIBVS

ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRO

DIGNITATE DOCTORIS OBTINENDA

D. XXIV SEPTEMBRIS A. C. MDCCXCV

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

CHRISTIANVS GOTTHELF HÜBNER

PHILOSOPHIAE DOCTOR ARTIVM LIBERALIVM MAGISTER ET IVRIS
VTRIVSQVE BACCALAVREVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

